

Lit. Rom. B  
2236



Acc. B. 2576





M. T. CICERONIS  
D E L E G E  
L I B E R  
S I V E  
D E L E G I B U S  
L I B E R P R I M U S.

---

RECENSUIT  
ET ANNOTATIONE AUXIT  
JO. FRID. WAGNER.



---

HANNOVERAE,  
SUMTIBUS FRATRUM HAHNIORUM,  
CICIDCCLXXXV.





# PRAEFATIO

IN QUA

DE RATIONE PHILOSOPHIAE  
IN SCHOLIS TRACTANDAE

AGITUR.

---

**Q**uidquid dicas philosophiam; five scientiam rerum divinarum & humanarum cum Cicerone eam definias; five principiorum cognitionis nostræ; five nexus rerum, sola rationis ope cognitarum, scientiam eam constituas; tamen, cum fit in ea semper notio cognitionis utilissimæ, mentisque humanæ vi dignissimæ atque aptissimæ, imo ejus, quæ veram et solidam doctrinam unice amplectatur; dubitari profecto non potest, quin in iis scholis, in quibus adolescentes ad litterarum studia informantur, primitiæ etiam huius scientiæ tradendæ, ipsique mi-

noribus quasi myſteriis initiandi ſint. Hoc enim caput inſtitutionis ſcholæſticæ haberi merito debet, vt non memoria ſolum multarum rerum copia & quaſi farragine compleatur, ſed ingenii vis & cogitandi ſolertia acuatur, animus vero ad bonos mores fingatur. Quanam vero arte id melius effici poſſit, quam ea, quæ princeps omnium artium & magiſtra vitæ merito dicitur? Accedit, quod iſta ætas philoſophiæ ſtudiis videatur aptiſſima, ſi quis verum putet, quod Plato dicit, nec bonos, nec malos philoſophari, ſed eos, qui neutrum ſint. Si qui autem ſunt, qui nec boni nec mali dici debeant, ii certe in iſta cerea ætate quærendi ſunt, qua nec vitiorum nec virtutum conſtantia ſe ſtabilivit.

Jam igitur merito quæritur, quanam ratione philoſophandum ſit in ſcholis? Num totius philoſophiæ ſyſtema & compendium aliquod explicandum & univerſæ, quanta eſt, deſcriptio ob oculos ponenda? Ea quidem ratio multis arridet auctoſibus non contemnendis; ideoque vulgo in ſcholis præcepta philoſophiæ ſyſtematice traduntur,  
at-



atque id exinde commodi evadere putant, ut quasi in tabula totius regionis descriptionem propositam contemplantes iter suum melius instituant adolescentes & feliciter. Sed vereor equidem, ne ista imago fallat imprudentes & inani similitudinis specie, ex materia longe diversa, decipiat. Qui enim tabulæ illius ope iter instituere cupit, is terrarum regionumque notitiam aliquam habet jam ante acquisitam; at qui in scholis ad philosophiam instituendi sunt, ii rudes sunt & philosophici studii adhuc plane expertes. His tu explicare cogites systemata universæ philosophiæ, in quibus conficiendis & extruendis industria & solertia doctissimorum & acutissimorum virorum ætatem transegerit. Quæ summi viri, copiosissima atque uberrima doctrina imbuti, mira arte, diligentia singulari composuerunt, ut ingenii sui fructum, larga rerum cognitione decerptum, in angustum quendam locum contraherent, quo & ipsi thesauro suo rectius frui & aliis inde, quod impertirentur, promere possent; ea tu adolescentibus, imo pueris propines & ad eorum captum deduci

posse speres? Num terminis, quos vocant, technicis enucleandis, operose distinguen- dis, dividendis, combinandis id, quod mul- torum sæpe annorum studio inventum est, una horula intrabit ingeniolum adolescentis, cultu nondum fatis subacti & ad id maturita- tis progressi, vt, quo studio, qua animi con- tentione ista inueniantur, quodammodo ipse expertus sit. Quo pacto rerum uniuersa- rum nexum ille intelliget, qui singulas non- dum cognoverit, inque his percipiendis in- genium suum tentauerit, exercuerit? Sal- tandi artem nemo desiderabit, qui ambulare non valeat: Rhetorices præcepta non in- culcabis ei, qui loqui vix didicerit: neque totius philosophiæ systema aliquod artifi- ciosum plane percipiet is, qui non multum antea meditando, cogitando & proprio Marte in varias res inquirendo exercitatus fuerit. Multum sudabitur fortasse expli- cando definiendo, distinguendo, exemplis illustrando: tamen & opera & tempus ne- quicquam peribunt. Neque est quod dicas: breuiter tantum ista jam tractanda, breui compendio summas tantum res complecten- das

das esse. Quo enim leviori opera in istoc negotio defungi volueris, eo magis a scopo aberrabis, eo obscuriora omnia & difficiliora permanebunt. Quo breviora sunt quæ scho- lis scribuntur compendia, eo facilius illis simile quid evenit ejus, quod Cicero de Chryssippi Rhetorica dicit, vt, qui cogitan- di & philosophandi tædium concipere velit, in iis probe defudare debeat. Vix enim aliud quid efficitur, quam ut memoriæ in- culcentur res obscuræ & verba pro rebus firmiter teneantur ac religiose observentur; quibus paullulum modo immutatis, quasi foliorum ordine levi aura perturbato, sese expedire non possit misellus ille philosophus. Qua ex re stupor & rigor quasi ingenii ena- scitur, cogitandi industriam fugiens & om- nem veritatis ulterius explorandæ soler- tiam, tanquam securæ illius certitudinis & dulcissimæ animi tranquillitatis perturbatri- cem, cane pejus & angue reformidans. De- inceptis vero non raro pertinacia quædam ge- neratur affirmandi aliorum opiniones quasi ex tripode condemnans, & a reliqua hominis eruditione mirum quantum sæpe discrepans.

Coeca ista perſuaſionis contumacia, quæ iis plerumque inesse ſolet, qui res non propria intelligentia perceperunt, & liberaliori mentis intentione conſideraverunt, exploraverunt, ſed ab aliis tradita memoriæ opere mandaverunt, (quam operam perdiſſe certe nefas fit) non id ſolum habet noxæ, vt veritatis ulterior indagatio impediatur; ſed, quæ non toto animo arrepta ſunt pectus ea non intrant, neque ad mores eam vim habent, quam veritas clare & perſpicue percepta & cognita nunquam habere non poteſt. Nam poſt obſcuras & cognitu difficiles res, contorta verborum ambage concludas, & graviori quodam ſono, qui ex adyto ſanctiori prodire videatur, enuntiatas, facile ac lubenter latet animi pravitas & libidinis ſcelerumque vaſritia. Cum enim nemo nec aperte malus eſſe nec ſibi ipſi videri velit, tamen, quæ eſt mortalis animi perversitas, & cupide arripit & firmiter tenet ea, quæ pulchram honeſtatis ſpeciem præ ſe ferant, at mores & prava animi conſilia non tangant, imo foveant & adjuvent. Cujus quidem rei in Luciano, qui

qui

qui sane non omnia ad levem inanemque risum captandum callide finxisse, sed ad veritatis rationem sapienter exposuisse videtur, plura prostant exempla. Quis Hermotimum ejus (ampliore explicatione hodie fortasse non indignum) legens non quavis alia ratione in scholis certe philosophandum, quam systemate aliquo inculcando, apud animum suum constituat? Si verum est, quod multi viri optimi iidemque gravissimi queruntur, parum adhuc pro sua præstantia ad hominum animos valuisse & valere religionis sanctissimæ disciplinam: num absolum sit, hujus rei causam in eo quærere, quod plerumque nimis mature & mentibus non satis præparatis ea traduntur, quæ tanta sunt, tam gravia, tam longe ab humanæ mentis captu remota, ut pia fide credi magis, quam intellectu comprehendi possint & debeant? quæ, si vacuis adhuc & nulla vulgarium rerum cognitione subactis ingeniis obtrudantur, quid aliud, quam inanes soni manebunt, cum ad mentis intelligentiam, tum ad animi morumque fructum parum utiles, imo noxii. Quo enim

\* §

enim graviora, sanctiora & si intimis præcordiis foveantur, ad animum moresque fingendos, vitam etiam juvandam & consolendam, efficaciora sunt præcepta, eo turpius & petulantius iis abuti solet hominum libido & scelus, si obscuris tantum verborum ambagibus memoriæ injuncta fuerint, mentis intelligentiam animique apprehensionem effugerint. Id vero semper tum eveniat necesse est, cum mature nimis atque ingeniis non subactis systema aliquod universum obtruditur. Omnino tota historia clamat, iis temporibus, quibus & pangendis & religiose tradendis systematis opera imprimis daretur, nec veritatis nec virtutis cultum viguisse, sed inanes altercationes studia philosophorum occupasse, vitam ipsam longe a scholarum præceptis discrepasse. Tandem neque hoc silentio prætereundum est, diligenter cavendum esse, ne id eveniat, quod systematis studiose tradendis plerumque evenire solet, ut adolescentes, qui fideli studio, quæ a magistro dilecto & unice caro tradita sint, perceperint atque in memoriæ thesaurum pie collegerint, cum  
tan-

tandem in latiore litterarum campum excurrere cœperint & liberaliori, quæ in Aca-  
demiis regnat, institutione imbuti, alios alia  
sentire, neque hæc omnia, quæ huc usque  
firma fide tenere adsvenerint, ab omnibus  
eadem credi, sed a viris gravissimis ac doc-  
tissimis impugnari, didicerint, jam vel stu-  
peant attoniti; vel animum despondeant in-  
ertes; vel tandem juvenilis ingenii temeri-  
tate abrepti, quicquid adhuc verum rectum-  
que putaverint, pariter falsum atque abji-  
ciendum decernant: qua ex re dici vix pot-  
est, quantum damni non ad vitam solum  
academicam & mores, sed ad omnem æta-  
tem redundet. De omnibus dubitandum  
esse summa quidem auctoritate philosophi  
pronunciarunt; & sane in eo latet veritatis  
exquirendæ fons uberrimus; at id commit-  
tendum non est, vt una dubitatione omnis  
doctrinæ copia dilabi, & uno quasi ictu con-  
cussum ædificium corruere possit. Ita po-  
tius ab initio docendi ratio instituat, ut ne  
incognita pro cognitis habeamus; vt ne  
prius aliquid pro certo statuamus, quam ipsi  
illud penitus contemplati ab omni parte col-  
lu-

lu.

lustraverimus. Dubitemus de singulis, ne de universis dubitare opus sit.

Quænam autem ad eum finem perducat via? Quæve semita ad philosophiæ mysteria initientur scholarum alumni? Ea profecto non una est nec simplex. Ante omnia hoc inprimis spectandum est, ut cogitandi solertia multis modis exerceatur & probe subigatur, antequam ad interioris philosophiæ adyta penetrare velis. Veritatis sensus excitetur, alatur, confirmetur, ne curiositatis & rixandi magis, quam philosophandi studio exardescant animi. Quid vero cogitandi acumen magis expoliat, quam si pueri adolescentesque ad omnia, quæcunque obvia fiant, mentem & oculos intendere, speciem eorum, rationem, causam usumque exquirere atque ediscere advescant. Multæ res usu quotidiano ita obsoleverunt, ut respectu ac cognitione eas vix dignemur, quarum tamen si rationem explicare studeas, multum desudare possis. Quotusquisque est, qui structuram illius machinæ, cujus ope ab omnibus fere puelis & feminis fila lintea ducuntur, aut sin-

gu-



gularum cultri tonforii fabricam ita perspectam habeat, ut qua ratione singula inter se & ad finem usumque destinatum respondeant, declarare possit. Vulgaria ista sunt, eandemque ob causam neglecta; sed nisi ad ea dirigatur animi attentio, nec artes pro-vehi, nec meliora inveniri possunt: commodissima vero ingeniorum nullo non tempore absque tædio & quasi per lusum exercendorum occasio plane omittitur. Ista porro via planissime deducit & ad Technologiam, qua nihil certe nec ad vitæ usum, nec ad ingenii acumen utilius est, & ad universæ naturæ diligentem cognitionem, quam Cicero pulcherrimum animorum pabulum dicit. Ea autem, cum singularum rerum, animalium, plantarum notationem, tum totius mundi formam ac magnificentiam, mutationes denique corporum & omnium, quæ in rerum natura eveniunt, considerationem amplectitur. Et ille quidem, quæ ad singulas res pertinet & historiæ naturalis nomine vulgo nota est, miram habet in se cognoscendi voluptatem, atque intuendi, perscrutandi animadvertendique solertiam mirum

rum

rum in modum exacuit & perpolit, veritatis autem sensum nutrit & confirmat. Nullus enim in his est calumniæ & fraudi locus, sed pura, plana & sincera omnia explicat natura, quæ ipsa veritatis vi ac numine regitur & continetur. At eum in finem parum profeceris, si naturæ cognitionem methodo Raffiana, vaga & ludicra, vel Funke'ana, laxa & perturbatori, tractaveris; sed sequenda erit illa severior, quam systematicam dicunt docti, quamque in primis commendavit & usu faciliorem scriptis suis reddidit Bechstein, præcipue quidem historia naturali, at ambulationibus etiam, quas dixit, conjuncta cum André'o opera conscriptis: in quo tamen opere utilissimo nonnulla sunt, quæ minus mihi quidem probentur, in primis hoc, quod in sunt haud pauca ambulationibus parum accommodata, ex aliis libris temere descripta, ea denique, quibus nemo uti possit, nisi qui rem plenus calleat; qui autem calleat, ille his certe opus non habeat. Omnino in ejusmodi inventis satis esse debet, viam monstrasse; de reliquis: sapienti sat! Quicumque enim præ-

præceptor non primis duobus vel quatuor voluminibus in rectam viam deductus fuerit, is profecto nec sexcentis sapientior fiet. Sed hæc obiter. Cæterum ista accuratior rerum considerandarum methodus sola recte cogitandi dux & magistra est, cujus numine & auspicio mira naturæ varietas & summa constantia deprehenditur, & veritas per omnem æternitatem rata & firma sic hominum contemplationi se offert, vt, quantum ejus fieri potest, formam illius intueri, pulchritudinem mirari, amare & ad vitam animosque transferre possimus. Numquid igitur in institutione scholastica naturæ cognitione antiquius fit? His scilicet artibus summi ex omni antiquitate philosophi ingenium suum formarunt atque excoluerunt. Unum instar omnium commemorasse sufficiat Socratem, veræ inter Græcos philosophiæ auctorem, qui non subtilibus quæstiunculis tempus & otium fallebat, ingeniumque ostentando nihil agebat; sed, cum perpetuo ad omnia, quæ hominum vitam & negotia spectarent, animum intentum teneret; mores eorum, studia, gaudia, discurs-

discursus, vitia & virtutes folerter cōgnosceret, eo tandem pervenit, vt omnibus, qui consuetudinem ejus quærerent, prodesse posset. Multa hujus rei in scriptis discipulorum, inprimis Xenophontis, sunt documenta, quæ singula explicare longum foret. Unum tamen, quia minus, quam par vilum est, perspectum fuit & cognitum, amplius illustrare non alienum a re proposita videtur. Parrhasium pictorem Plinius (lib. XXXV. cap. 36. §. 5. ed. bip.) narrat primum Symmetriam picturæ dedisse; primum argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris; confessione artificum in lineis extremis palmam adeptum. Eandem inventionis gloriam eidem tribuit Propertius Eleg. III. q. vers. 12. sed nemo, quantum equidem scio, animadvertit, Socrati nostro hanc laudem deberi, qui auctore Xenophonte Mem. III. 10. Parrhasium monet, animi mores, hilaritatem, comitatem, prudentiam, liberalitatem, & qui hisce affectibus sunt contrarii, picturæ ope non in vultu solum, sed in totius corporis habitu & motu exprimi posse. Vanus fane, ineptus  
at-

atque importunus fuisset Socrates, si Parrhasium jam tum pictorem tam egregium, qualis postea celebratur, ea monere voluisset, quæ ipse potius ab eo docendus erat. Profecto verendum merito fuit Socrati, ne idem experiretur, quod Alexandro postea accidit, cum coram Apelle de pictura multa arroganter diceret. Quin ipse Parrhasius cum aperte miratur, quomodo mores animi, qui nec symmetriam, nec colorem habeant, in tabula exprimi possint, nonne manifesto declarat, se de his nondum cogitasse, sed id egisse tantum, ut pulchra effingeret corpora et varias hominum ætates picturæ ope præsentaret? Cum autem postea in iis ipsis, quæ adhuc ignoraverat, excelluerit ante alios, quidnam magis consentaneum est, quam dicere, eum a Socrate monitum his rebus demum attendisse animum, et ut decet artificem, cum semel aliquid arripuerit, non in imo substituisse, sed ad summum perfectionis fastigium rem protulisse. Imo quæ antea unice coluerat, corporum pulchritudinem, lævitatem, asperitatem, juventutem, senectutem, ea deinde paullo negligentius tra-

\*\*

ctaf-

ctasse videtur: quare etiam in Plinii reprehensionem incurrit, quod in mediis corporibus exprimendis, sibi comparatus, minor fuerit, cum omnem scilicet diligentiam in extremas lineas, in quibus motus et affectus animorum mirifice exprimuntur, contulisset. Quae enim Plinius media corpora dicit, ea, puto, sunt, quæ apud Xenophontem *σκληρα και μαλακα, τραχεια και, λεια*, cæt. appellantur. Socratis igitur, viri plane divini, industria ac solertia ingenium artificis, quod dormire adhuc videbatur, ad amplificandam atque illustrandam artem excitatum est. Quid autem ad gloriam magnificentius, ad vitæ usum fructuosius cogitari possit, quam ut homo quivis in ea arte fiat perfectior, cui vitam omnemque ingenii vim consecraverit? Quodsi huncce finem adsequatur philosophia & scholastica institutio, profecto illa nihil optandum reliquerit, omnesque numeros expleverit. Id autem nullo pacto effici potest, nisi ad omnia, quæcunque in rerum natura hominumque vita obvia sunt, mentem animumque dirigere mature adsueverit pueritia atque adolescentia

tia

tia. Quæ autem artes id melius efficiant, quam quæ dicuntur historia naturalis & Technologia? Hæ igitur ante omnes in quavis schola diligenter tractentur & excolantur.

Sed quo acrius, id quod ad justum studium imprimis necessarium est, in certum ordinem & nexum inter se rerum defigatur animus, & quæ sit vera consecutionis & argumentationis ratio intelligatur atque edificatur, non negligenda, imo assidue tractanda est mathesis, quæ dicitur pura. Quæ cum, a simplicissimis sensus communis notionibus orta, alia aliis subinde addat & ita connectat, vt superioribus rite perspectis reliqua sponte fluant, ad justam cogitandi methodum hominem inducit, & subtilitatem in differendo atque in veritate exquirenda familiarem reddit. Quas autem plures in ea reperire sibi videntur difficultates, eæ multum minuentur, si non uno tractu præceptor ipse doceat, sed interrogando, quod certe difficilis operæ non est, eo perducatur discipulos, vt ipsi demonstrationes inveniant & perficiant, eoque tandem perve-

niant, vt non in ipsa re, neque in suo ingenio, sed in opinione positam esse matheseos ediscendæ difficultatem intelligant. Qui autem hac quasi cote ingenium non exacuerit, næ is in grauioribus philosophiæ reconditoris quæstionibus frustra laboret operamque perdiderit. Hac arte etiam, qui in philosophia clarum nomen meruerunt, imprimis valuisse videmus. Quid singulos commemorem a Platone vsque ad Kantium *τον ἀρτι των ἀπαντων κρατρυτα?* quem quidem quam multus fuerit, quam vero peritus in physicis & mathematicis, inter omnes constare puto. Quid igitur dubitamus adfirmare, eum naturalem solertiam adsiduo & diligenti harum rerum studio ita exacuisse, ad eamque perfectionem evexisse, vt, post tot illustria nomina, ipse tandem dux & auctor veræ & rectæ philosophiæ cluat? Quicumque igitur in philosophiæ sanctioris adyta admitti voluerit, is hæc quasi minora mysteria adeat, iisque initiari se patiatur: verendum est enim, ne hisce non probatus ad maiora rite admitti non possit. Jam equidem omitto alia permulta ad vitæ com-  
mu-



munis usum commoda, quæ ex diligenti mathefeos studio redundant, quæ certe tanta sunt, vt etiamfi ad eam, quæ proprie dicitur, philosophiam penetrare nunquam volueris, istius tamen studii pœnitere neminem vnquam debeat. Hoc loco sufficiat eum in finem ejus utilitatem tetigisse, quatenus ingenio ad profundioris philosophiæ studium præparando inserviat.

Transeo nunc ad ea, quæ proprii nominis philosophiam non præparent solum, sed penitus tangant, & pedetentim in sanctiora ejus penetralia introducant; non jejuno quodam, sterili, & exsucco systemate vel compendio, quo circumducti clausis ipsi oculis errent, palpent, semper aliquid captaturos se sperent, quod tamen, quale sit, ipsi nesciant; sed ita, vt suis ipsi oculis cernant juvenes, suo Marte pugnent, adeoque interna vi subactum ingenium sua foecunditate germinet. Sicut enim pictores & omnis generis artifices primo minora, deinde majora et graviora intuendo et imitando opera aliorum, finguntur et ad artis perfectionem paullatim producuntur, ita qui

philosophari rite cupiat, primo, cum ingenium satis maturitatis adeptum fuerit, elaboratiora doctorum opera cognoscat et perdiscat; totam structuram, compositionis artificium, argumentandique subtilitatem contempletur, scrutetur; singula examinet, veritatisque rationem ad animum ipse suum reducat; donec et ipse sine cortice natare et nova ex suo ingenio depromere valeat. Legendi igitur sunt libelli, qui singularem aliquam, sed gravem ex philosophia quaestionem pertractent. Quem vero hunc in usum prius commendem, quam Ciceronem, cujus libri philosophici eam commoditatem præbent in scholis, ut linguæ latinæ atque elegantioris sermonis studium cum disquisitionibus philosophicis jungatur. Huic tamen lectioni, ne meditatio subinde rebus alienis nimis avocetur ac distrahatur, præmittenda est dilucida & continua narratio de prima philosophiæ origine; de primis experimentis super rebus divinis et humanis cogitandi; qui primi fuerint auctores, qui deinceps nova addiderint, meliora aut invenerint, aut invenisse se putaverint; quibus

bus

bus argumentis causam suam firmaverint, quibus ab adversariis impugnati fuerint. Ejusmodi narrationem jam nihil interest quo nomine appelles; historiam philosophiæ, vel mentis humanæ; vel historiæ quam dicunt humanitatis, vel ejus, quæ litteraria vocatur, particulam dicas licet; modo eum in finem tractetur, ut quænam res hominum mentes et cogitationem imprimis defixerint, qui et quomodo in causis gravissimis tractandis versati sint, cognoscatur. Non equidem vereor, ne sic opinionum varietate conturbati animi ad Scepticismum prolabantur, omniaque æque incerta & dubia habeant: magis hoc ex nimis festinato dogmatismo timendum est. Quodsi conatus, quibus mens hominis paulatim ex tenebris emergere studuerit, quasi in tabula depictos intueri possis, simul vero, quo pacto subinde ad clarius lumen evaserit, et ad veritatis cognitionem fortius penetraverit, deprehendas: tum studium excitabitur eadem cognoscendi, et quidnam id sit, in quo summi viri et optimus quisque laboraverint, perspiciendi. Hujus vero rei

non contemnendum erit tirocinium, si Ciceronis scripta ita perlegantur, ut ordo rerum, argumentorum dispositio et gravitas accurate dispiciatur et explicetur. Ipse adolescens eo perducatur, ut feriem rerum ab auctore propositarum ordine justo et logico describere, si quid forte minus probabile aut ampliori disputatione non indignum occurrat, suo Marte pertractare ipse tentet. Tum fiet, ut non ossa solum et lineas, sed corpus fucci plenum et imaginem perfectam cognoscat, rem, toto ambitu complecti, quibus argumentis firmetur, quibus impugnetur, quibus armis se tueatur, quibus vinculis cum reliquis scientiæ partibus cohæreat, intelligere possit philosophiæ studiosus. Tanta autem est in Cicerone harum rerum copia, cum nulla fere gravior ex philosophia quæstio sit, quam ille non tractaverit, saltem tetigerit, ut in eo cornu copiæ reperiat, totius græcæ i. e. melioris et sanioris inter antiquos philosophiæ. Inter omnes quidem et totius causæ gravitate et egregiis sententiis eminent libri de Officiis: quæ qui duce et comite Garvino, cujus  
lau-

laudes repetere opus non est, perlegerit, quid ad totius philosophiæ moralis systema bene atque utiliter pertractandum desideret? Sed inter reliquos etiam sunt lectu dignissimi: quamvis equidem non suaferim, omnes, qui de Finibus inscripti sunt, aut Tusculanas quæstiones, continua ferie explicare; sed unum ex omni numero, ut tædium vitetur, seligere; qui tamen totus, non singulis tantum locis excerptis legatur: alioqui, quem antea posui finem, ingenii nexu rerum eruendo exercendi, obtineri non poterit.

Ciceroni jucundissimus adjungatur comes Plato, cujus et scribendi et rerum tractatarum genus facit, ut ab omnibus veræ philosophiæ cultoribus ametur. Non solum enim gravissimas et ad vitam moresque hominum utilissimas res disputat; sed ita disputat, ut finem philosophiæ rectissimo tramite petat. Hic autem profecto is non est, ut multa sciamus et arroganti vultu et voce, multis et gravibus verbis proferamus; sed ut rationes rerum teneamus, quale quidque sit exquiramus, rem quamcunque

\* \* §

ab

ab omni parte consideremus; quid sciri certo possit, quid non, exploremus; atque hac ratione humanæ cognitionis limites, quos migrare non liceat impune, notemus. Kantium equidem per muneris rationem nondum mihi familiarem reddere potui: id tamen cum ex propria lectione tum ex aliorum de isto viro iudiciis intelligere fatis mihi videor, summa hujus disciplinæ merita in eo posita esse, quod firma tandem et rata philosophiæ principia quæfiverit, et quid intellectu humano comprehendi possit, quid captum ejus superet, accuratius designaverit. Huic autem rationi, quæ omni rectæ philosophiæ, nisi per inanes nugas incerto pede vagari et vano studio fatigari velit, subjecta esse debet, quem potius tribuamus antesignanum, quam Platonem? Quis enim subtilius rem quamque differit ad omnes eam partes versando? Quis luculentius in utramque partem disputat interrogando et exquirendo, quid veri, quid falsi insit in rebus vel notionibus propositis? Quis diligentius rem eo tandem adducit, ut, etiamsi non, quid illa sit, intelligatur, tamen,

men,

men, quid non fit, appareat, demonstretur et indicetur. Quid vero in singulis exemplis commemorandis jam morer? Inprimis ad rem præsentem illustres videntur isti Dialogi: *Lyfis, Meno, Alcibiades I. Ion, Theætetus*, in quibus id inprimis agit, ut, causis gravissimis diligenter et subtiliter excussis, primo errores et falsas opiniones removeret, deinde vero, vel, quod verum videretur, ad mentem propius admo- veret, vel, ad reconditiorem veritatis fon- tem animum incertum (imo de cognitionis suæ statu certissimum) ablegaret; quin ad ipsum Deum rem omnem rejiceret. Multi fuerunt et sunt, qui Platonem vituperent hoc nomine, quod, multis ultro citroque disputatis, tamen certam quandam et ratam sententiam non proponat, sed lectorem in- certum relinquat, quænam tandem senten- tia amplectenda sit. Quasi vero non multo pluris sit æstimandum, remotis errorum ne- bulis clara luce rem intueri posse ita, ut tuo sensu, tuo intellectu ipse cognoscas, utrum subjecta sit captui mentis humanæ, an longe superior omnes ejus conatus frustratura sit et

et delusura. Parum profecto ad veram philosophiam atque ad eam, quam quærimus, mentis animique perfectionem proficitur, si alter alteri suam, quam vel ipse excogitaverit, vel ab aliis edoctus fuerit, sententiam propinet atque in os quasi illinat. Ea tantum nos scire putemus, quæ, perspectis rerum principiis et causis, aut affirmare vel negare liquido possimus, aut scire vel nescire nos, certo quodam decreto statuere audeamus. Melius igitur nobis consuluerit is, qui opinionum errores repellat, iudicium vero, cui ipse viam straverit, integrum nobis relinquat, quam is, qui quasi ex tripode dictata sua pronunciet, quæ ore hiantes, tanta sapientiæ copia obstupescunt, auditores excipiant, calamis festinantibus chartæ tradita domum reportent, atque arculis fidelibus mandata conservent.

In alteram vero reprehensionem Plato incurrit ideo, quod Deum tandem statuat auctorem earum rerum, quas ipse explicare non possit: id vero esse nodum incidere, non solvere; multaque ex ea re et gravissima nasci incommoda. Quodsi vero nodus  
solu-



solubilis omnino non fit, quis eum jure reprehendat, qui incidat saltem aliquo modo, quem intactum prorsus relinquere nolit? Sed nodum etiam incidisse is dicendus non est, qui partem ejus indissolubilem et viam aliquam ejus solvendi quasi digito significet. Idem fecit Kant'ius, \*) cum depravationis et corruptionis hominum fontem ad obscurum plane atque incredibilem originem deduceret, melioris autem frugis principium et quasi regenerationem ex subito, sed certo et rato, consilio revocaret. Qua quidem in ratione aliis verbis sententia non multum diversa ab illa Platonica in Menone: *virtutem doceri non posse*, proposita esse mihi videtur. Regulis autem et præceptis virtutem genuinam excudi non posse, non exemplis modo, tam a Platone citatis (vbi ἀρετή quidem latiore significatu sumitur, et de virtute inprimis militari et politica adhibetur;

---

\*) In libello nobilissimo: Religion innerhalb der Grenzen der bloßen Vernunft, qui nuper fortes et strenuos nactus adversarios non sine insigni, spero, veritatis lucro amplius discutietur.

tur; at par est ejus, quæ moralis dicitur, ratio: non magis enim vir bonus atque integer præceptis efficietur, quam dux belli aut sapiens reipublicæ administrator) quam in vita communi obviis; (quo pertinet etiam, quod nuper vir ingeniosus in Anselmo et Philippo proposuit, (quorum alter litteris excultus et philosophiæ inprimis deditus, a vera tamen sapientia et virtute alienus: alter sola natura i. e. Deo duce vir optimus evasit) sed etiam ex sua cujusque experientia evincitur, quæ hoc, puto, docet: sæpe nos optimis et sapientissimis rationibus ductos ita agere, ut nemo homo aliquid in virtute nostra reprehendere aut desiderare fas habeat, imo ipsi, nos aliter rem instituere nec potuisse nec debuisse, intimo pectore sentiamus, et tamen puram et sinceram istam virtutem non esse confiteri cogamur, si forte vanitas quædam in eo, quod sapienter et ad virtutis præcepta agamus, vel alia fraus (quales innumeræ, quasi latrones infesti, sinceræ atque immaculatæ probitati insidiantur) inopinantibus nobis irrepserit. Vbi igitur posita est vera virtus? In mentis

tis

tis quadam vi recondita, quam Deum dicit Plato in Menone, in Alcibiade I. autem *Φρονήσις* s. mentis propriam vim atque aciem interiorē. Quodsi recte jam Menonem cum Alcibiade contuli, concidet, puto, etiam alterum crimen, Platonis ad Deum provocationi objectum, quod ad fœcordiam et superstitionem deducat ista ratio: *Scilicet, si Dei donum sit virtus, vel ab ejus libera gratia illam expectandam, vel importunis precibus efflagitandam esse.* Plato enim, ne quis erret, ad sui quemvis animi conscientiam delegat et ad interni Dei reverentiam adducit. Altera autem ratio, qua, virtutem præceptis constare, docetur, non minus detrimenti adferre atque id genus hominum, quod *Maulchristen* dicitur, progenerare potest, qui, si modo verbis legis satisfecerint, eosque se præstiterint, quos nemo accusare merito possit, satis se bonos et perfectos existiment.\*) Neque vero locum habere potest quod nuper

---

\*) Quæ natio, etsi jam Horat. Ep. I. 16. eam satis acriter arguit ac refellit, tamen hodie nimis frequens est.

per vir doctus (Morgenstern, cujus tamen libellum ipsum legere mihi nondum contigit) statuit, Menonem ironice intelligendum esse: id quod et omnino Platonicae rationi, et hujus inprimis scripti sensui & consilio repugnare videtur. Antiquissimam enim rudiorum hominum simplicitatis opinionem, omnia præclara atque eximia ad Deorum numen referentis, Plato, non sine Socrate puto, et reliqui philosophi meliori et veriori sensu ad ea designanda transtulerunt, quæ interiori condita angulo viderentur, quam ut humanæ mentis acie deprehendi et philosophiæ subtilitate definiri possent. In hoc differunt, quod non, ut poetæ sæpius, admirationis et majestatis causa, sed necessitate et veritate commoti, cum, ad ultimos rationis humanæ fines penetraissent, quod suæ solertiæ non esset explicare, ad Deum transmiserunt. Quin ipsi poetæ, præcipue ii, qui interioris philosophiæ studio imbuti fuerunt, non semper folius ornatus studio et antiqua superstitione ducti Deos advocare, sed altius quid spectare videntur. Huc referam equidem, ut  
uno

uno exemplo defungar, Sophoclem, qui Philoctetem, cum precibus et minis, fraudis terroribus, gloriæ illecebris, benevolentiae blanditiis diu et pertinaciter restitisset, non nisi Herculis tandem jussu victum concedere fecit. Scilicet sæpe animadversum est, eos, qui nec rationibus evidentissimis, nec argumentis gravissimis adduci potuerant, deinde sua sponte id facere, quod antea nullo pacto persuaderi posse videbantur. Pertinaciam hanc et futilem morositatem qui dicere voluerit, næ is causam parum accurate perspexerit. Quæ præterea hujus rei explicandæ causa adferri possunt et solent, ea ita huic quæstioni satisfaciunt, vt locum remotiori et abstrusiori causæ relinquunt, cujus partes Herculi tribuit Sophocles: quo pacto pariter ac Plato Deo ea adsignat, quæ humano intellectu attingi non possunt, nomen tamen certum, vt Poeta, ex fabulæ ratione attribuit. Quodsi nihil aliud boni in se habeat ista ratio, hoc certe habet, quod impedit, ne levissimis argumentis sæpe, quæ explicari non possunt, explicasse putemus, et summa imis miscen-

\*\*\*

tes

tes maximas res tanquam vilissimas negligamus. Quæ enim vere magna sunt & gravia, ea mirari, ea magna et divina putare, in iis defixam cogitationem tenere, ad veram philosophiam fatius, et ad divinam mentis humanæ dignitatem intelligendam fructuosius esse puto, quam explicatione qualicumque adquiescere, ac deinceps totam rem quasi profligatam relinquere. Huic vitio, mea quidem sententia, in Platonis diligenti lectione promptissima medicina reperitur. Igitur melius fortasse philosophico studio consultum fuerit, si divinus ille Plato frequentius in scholis vel legatur, vel legi possit, aut in principio cursus academici diligentius tractetur, quam si rudibus et nondum subactis ingeniis ea inculcentur, quæ, sic nude posita, meræ argutiæ et spinæ videri debent: quas vel ideo tantum cupide excipient studiosi, quia in posterum eas se claperspecturos sperant; vel, si hæc spes eos fefellerit (et fallet profecto, nisi aliam ingrediantur viam) rei tædio et difficultate victi philosophiam penitus desperantes abjicient.

Sed

Sed ne ingrati nostra & recentia contemnentis aliena tantum & antiqua sectari videamur, ad cursum philosophicum in scholis absolvendum adjungamus collectionem quandam optimarum a viris doctissimis in hoc genere, Garve, Sulzer, Engel, Herder, al. et lingua quidem germanica conscriptarum disputationum, in quibus ejusmodi res tractantur, quæ, ut a juvenili ingenio non abhorreant, ita et argumenti gravitate et orationis suavitate pabulum ei præbeant dignissimum, si ea, quam antea proposui, methodo pertractentur, ut et rerum et argumentorum series, dictorum veritas et gravitas, sermonis denique elegantia exponatur et proprii studii materia inde capetur: quid multa? ita pertractentur isti auctores, ut in veteribus auctoribus explicandis versari fas est. Hoc pacto sperare licet, fore, ut, qui optimorum præceptorum copia imbuti, quid deliciarum, quid utilitatis in philosophia insit, didicerint, non otiosi nec attoniti in philosophorum subselliis hæreant, sed, cui bono ea frequentent, probe sciant. Quodsi præterea in scholis libera-

liorum artium et disciplinarum præcepta breviter et succincte, atque ad diligentem scriptorum lectionem accommodate tradantur, nec non religionis christianæ dogmata, inprimis quæ ad formandas dirigendosque mores pertinent, iusto ordine proponantur atque ad animum admoveantur: non video equidem, quid desiderari adhuc possit, quod Logices aut Metaphysices. compendio in scholis perlegendo compensari debeat.

Jam superest, vt instituti mei et consilii in edendo Ciceronis opusculo, quod jam in manibus tenes, Lector Benevole, rationem reddam. Liber primus de legibus (reliqui enim duo ad rituum romanorum notitiam magis pertinent) inter Ciceronis scripta cum docendi ordine et perspicuitate, tum argumenti gravitate et rerum utilissimarum copia insignis videbatur, ideoque hodie nova opera non indignus. Eam enim materiam pertractat, quæ non modo ad hominum salutem & dignitatem maxima, sed hoc etiam nomine notabilis est, quod hac nostra ætate a viris doctissimis et sapientissimis ultro citroque disputata, impugnata et  
defen-



defensa fuit. Quorum certamini vt equidem immiscere me non cupio, ita non incommodum videtur, libellum optimi auctoris, qui in scholis inprimis regnat, denuo commendare: unde sole clarius appareat, (id quod multos dubitare cognovi) non esse ea, quæ de juris legumque principio, hominumque omnium inter se æquali jure dicantur, nova hujus nequioris ætatis commenta, antea inaudita; sed a viris sapientissimis iisdemque humanæ naturæ spectatoribus diligentissimis jamdudum & cognita et tradita. Jam eo felicitatis pervenimus, vt, quam paucis abhinc annis scholarum tantum umbris relinquendam, vitæ humanæ parum utilem, imo noxiam censebant plerique omnes, quæstionem de natura hominis et jure eidem connato; (quasi qui domum ædificandam sumeret, non materiæ, nec qui pascendos greges curaret, non pabuli naturalis rationem habere debeat) quin ita damnandam putabant, vt, qui de his rebus dicerent & differerent, factiosos & novarum rerum cupidos pronunciarent: hanc doctissimorum & sapientissimorum virorum

disputationibus ea luce collustratam habeamus, quæ nullius æqui rerum arbitri animum amplius offendere debeat. Tantum enim abest, vt qui hominis dignitatem & maiestatem in ipsius natura atque indole positam recte cognoverit, tumultus & seditiones amet, ac res novas moliri studeat, vt potius, si quæ forte in institutis humanis minus probata fuerint, lenta quævis remedia, a divina providentia, quæ profecto res humanas nondum negligit, expectare, quam ea videre malit, quæ & Thucydides (lib. III. c. 81. sqq.) seditionis mala describit, & nostra ætas in vicina gente multo vidit atrociora. Haud igitur, credo, vituperabitur, quod libellum mea qualicumque supellectile ornatum in lucem emisero, in quo sapientissimorum ex tota antiquitate virorum de fundamento juris decreta in angustum quendam locum redacta & certa methodo explicata sunt. Nam ut reliqua, quæ in hac quæstione insunt, bona jam omittam, haud exiguum certe virtutis incitamentum positum est in eo, vt scias, quam præclara conditione homo a Deo procreatus,

tus,

tus, quam eximiis animi ingenique dotibus exornatus sit. Quid enim fortius animum erigat, quid acrius ad vitæ morumque honestatem excitet, quam si naturæ humanæ dignitatem & divinam plane mentis excellentiam probe pernoscas, semper cogites, & factis contaminare scelus habeas. Cujus rei quam præclara Cicero semina sparserit, ex ipsius lectione cuilibet patebit. Quam vellem & ego digna huncce libellum dote exornare potuisse! Quid spectaverim equidem, vides: Primo id egi, vt textum Ciceronis post Davisii atque Ernestii curas emendatiorem exhiberem. Quæ ab illis jam confecta & profligata putarem, non re-coxi, neque ea repetere volui, quæ in Doctorum commentariis & Lexicis satis explicata essent; sed si quæ aut omissa aut minus probanda viderentur, ea supplenda aut corrigenda suscepi; rerum seriem, argumentorum nexum explicare atque illustrare studui; si quæ forte occurrerent altiori disputatione non indigna, ea fusius paullo executus sum: quæ quidem si non displicuerint viris doctis, gaudebo; si causam  
nacti

nacti fuerint, meliora docendi, grato animo agnoscam; si studiosæ juventuti inde captata fuerit materia de rebus gravissimis inquirendi, præmia me opellæ meæ retulisse credam uberrima. Scripsi Lunæburgi mense Februario a. p. Chr. **MDCCCLXXXV.**

Joh. Frid. Wagner,  
Johannei Rector.

M. T. CICERONIS

DE LEGIBUS

LIBER PRIMUS

ET

SECUNDI EXORDIUM.

A

M. J. CICERO

DE LEGIBUS

LIBER PRIMUS

ET

LIBER SECUNDUS



## DESCRIPTIO ARGUMENTI

LIBRI PRIMI

### CICERONIS DE LEGIBUS.

PROOEMIUM. \*)

Quercus in Arpinati Ciceronis, cujus mentionem in Mario suo fecerat, sermonem adducit brevem de fide historica & poetica: unde Atticus occasionem captat, Ciceronem hortandi, vt ætatis suæ historiam conscribat. Quod cum Cicero libenter se facturum polliceretur, si majus otium daretur, quod per senectutem jam postulare possit, in quo tamen, more majorum, consulentibus quin respondeat, recusaturus non sit; tum vero in mentem venit Attico, rogare Ciceronem, vt horis subsæcivis de jure civili ipse scribat, cui

\*) Cum hoc proœmio contulisse non pœnitebit exordium Phædri platonici, cujus hic habemus elegantem plane et ingeniosam imitationem.

cui morem gerit Cicero ita, vt statim de jure civili dicendum suscipiat, neque vero more consueto, sed ut ex intima philosophia juris disciplinam hauriat, naturam ejus explicet, atque ab hominis natura repetat, Hæc aguntur vsque ad Cap. VI. initium. Sequitur **DISPUTATIO** ipsa, cujus

P. a r s I.

a Cap. VI. ad Cap. XII. exitum versatur in exquirendis et aperiendis fontibus, e quibus juris disciplina haurienda sit. Continet autem

- A) Definitionem legis amplio-rem et reconditio-rem, ei similem, quam Plato in Minoe constituit. (Cap. VI.)
- B) Deinceps hominum cum Deo adfinitatis conjunctio & similitudo demonstratur, eo quidem consilio, vt naturam divinam juris fontem uberrimum esse pateat, eo-que magnificentior juris legisque origo evadat. Nam si natura rationis in homine ac Deo eadem est, in ratione autem recta, pura, simplici vis legis est, non datur profecto verior atque liquidior legis fons, quam



quam natura divina, neque est dignior virtutis æstimandæ et comprobandæ modus, quam si eam ad naturam divinam applices et accommodes. Nil enim mancum atque imperfectum, nil humile et abjectum admittit divinæ naturæ cogitatio. — Conjunctio autem hominum cum Deo cernitur in his quatuor rebus:

- a) in communionem rationis, adeoque juris et civitatis. (§. 22. 23.)
- b) In communi stirpe: unde oritur quasi confanguinitas. (§. 23. 24.)
- c) in virtutis confortio: unde cognatio quæ iam animorum oritur. (§. 25.)
- d) in beneficiis homini a Deo tributis, quæ cum mutuam inter Deos hominesque societatis conjunctionem, amorem, pietatem, et adesse demonstrant, et, si non adsit, generant; tum ea sunt omnia, ut ad rationis confirmationem hominem perducant; adeoque hunc esse, quo ho-

mini progrediendum fit, finem simul demonstrant. (§. 25 - 27.)

C) Jam fons juris alter aperitur qui est in ipsa ratione humana. Eam autem esse omnibus communem, ideoque jus omnibus commune atque idem, demonstratur:

a) ex similitudine omnium hominum, quæ efficit, ut una omnes definitio comprehendat. (29-30.)

b) Ex facultate et effectis rationis, quæ in omnibus eadem sunt, licet doctrina differant. Nam cogitandi et sentiendi vis, discendi principia, orationis solertia et virtutis indoles in omnibus eadem sunt et paria (§. 30.)

c) In judiciis hominum de rebus ad mores pertinentibus,

α) cum perversis & pravis (31. 32.)

β) tum rectis et virtutis dignitatem laudantibus. (§. 32.)

D) Ex his, quæ jam dicta sunt, efficitur, homines naturali quadam societate con-

ti-

tineri: quæ conclusio confirmatur atque illustratur pythagorica amicitiae definitione (§. 33. 34.) Hocce caput medium quasi tenet inter priorem & posteriorem tractationis partem. Nam et naturalis illa benevolentiae conjunctio tertius quodammodo juris explicandi fons est, et transitum facit ad partem illam, qua demonstratur uberius, jus esse in natura positum. Quare paucis de disputationis hujus metnodo & ratione interjectis (Cap. 13.) ad

**P a r t e m II.**

transit, qua (inde a Cap. 14.) jus et omne honestum in natura & ratione positum uberius demonstratur: et

A) primo quidem, jus, quod proprie dicitur, in natura esse docetur

a) ex vera de Dei cultu notione (§. 40.) quæ quidem particula maximam partem perit. vid. not. ad h. l.

b) ex conscientia scelerum, quæ et vexat improbos et ad excusanda facinora impellit (§. 40.)

c)

c) ex sermonis usu, qui injustos atque incautos, callidos et bonos non eosdem habet, qui tamen distinguendi non essent, si utilitate, non vi sua et interna, censeretur jus et honestum. (§. 40. 41.)

d) populorum jussis et principum decretis jura constitui, absurdum est:

α) quia ipsae leges illae, justaene an injustae sint, naturae norma discernuntur.

β) quia et justitia et omnes virtutes arbitrio hominum transmissae, pro tempore variae essent et mutabiles, id quod communi sensui (is vero nihil aliud est, nisi ipsa ratio, in qua est juris fons) repugnat. (§. 42-44.)

**B)** Eadem argumentatio valet de omni honesto. Nam,

a)

a) Idem sensus communis declarat, ut rerum naturalium perfectionem, ut prudentiam, ut verum et falsum, ut ingenii vim; ita et honesta et turpia ad naturam referri debere. (§. 44-46.)

b) idem ex natura boni ejusque cum honesto conjunctione elucet (§. 46.)

c) denique errorum et dubitationis in his rebus fontes demonstrantur. (§. 47.)

C) Ex dictis his et explicatis sequitur, sed ita, ut propositum magis confirmet: jus et omne honestum per se esse expetendum. Novis tamen argumentis id confirmat auctor:

a) ex communi de viro bono notionem (§. 48.)

b) ex sermonis consuetudine et usu, qui sententiam rationis purae ac simplicis pronunciat, ideoque legem naturae promulgare censendus est. Ita autem res tractatur, ut

α)

- α) earum virtutum causa agatur, quae ad societatem conjunctionemque hominum pertinent (§. 48-50.)
- β) Deinde earum, quae modestiam constituunt (§. 50. 51.)
- γ) ex eo, quod absurdum sit melius aliquid statuere quam virtutem: quod tamen necessarium fit, si virtus propter alias res, non propter se expetatur. (§. 52.)

D) Iisdem principiis nititur gravissima totius philosophiae quaestio de summo bono, quae tamen non tractatur, sed indicatur tantum. (§. 52-55.)

E) Iis ipsis major auctoritas et splendor illustrior quaeritur exinde, quod ex intima philosophia, quae omnis boni mater est, deprompta sunt, imo summam ejusdem continent. (§. 58 — fin. cf. not. ad h. l.)

---

M.



M. T. CICERONIS

DE LEGIBUS

LIBER PRIMUS,

INTERLOCUTORES ATTICUS, MARCUS ET  
QUINTUS CICERONES.

PROOEMIUM.

**L**ucus quidem ille, et haec Arpinatium quer- I.  
cus agnoscitur, saepe a me lectus in Mario. Si  
manet illa quercus, haec est profecto. etenim est  
sane vetus. **QUINTUS.** Manet vero, Attice  
noster, & semper manebit. fata est enim ingenio.  
Nullius autem agricolae cultu stirps tam diutur-  
na, quam poetae versu, seminari potest. **Att.**  
Quo tandem modo, Quinte? aut quale est istuc,  
quod poetae ferunt? mihi enim videris, fratrem  
laudando, suffragari tibi. **Q.** Sit ita sane. Verum 2  
tamen, dum latine loquentur litterae, quercus  
huic

huic loco non deerit, quae Mariana dicatur: ea-  
que, ut ait Scaevola de fratris mei Mario,

*Canescet saeculis innumerabilibus.*

Nisi forte Athenae tuae sempiternam in arce ole-  
am tenere potuerunt, aut, quod Homericus Ulysses  
Deli se proceram, & teneram palmam vidisse  
dixit, hodie monstrant eandem: multaque alia  
multis locis diutius commemoratione manent,  
quam natura stare potuerunt. Quare glandifera  
illa quercus, ex qua olim evolavit

*Nuntia fulva Jovis, miranda visa figura,*

nunc sit haec. sed cum eam tempestas, vetustasve  
consumserit, tamen erit his in locis quercus,

- 3 quam Marianam quercum vocent. Att. Non  
dubito id quidem: sed hoc jam non ex te, Quin-  
te, quaero, verum ex ipso poeta, tuine versus hanc  
quercum severint, an ita factum de Mario, ut  
scribis, acceperis. MARCUS. Respondebo tibi  
equidem, sed non ante, quam mihi tu ipse re-  
sponderis, Attice: Certen' non longe a tuis aedi-  
bus inambulans, post excessum suum Romulus  
Proculo Julio dixerit, se deum esse, & Quirinum  
vocari, templumque sibi dedicari in eo loco jus-  
ferit: & Athenis, non longe item a tua illa an-  
tiqua domo, Orithyiam Aquilo sustulerit: sic  
enim



enim est traditum. Att. Quorsum tandem, aut 4  
 cur ista quaeris? M. Nihil sane, nisi ne nimis  
 diligenter inquiras in ea, quae isto modo memo-  
 riae sint prodita. Att. Atqui multa quaeruntur  
 in Mario, fictane, an vera sint: & a nonnullis,  
 quod & in recenti memoria, & in Arpinati ho-  
 mine, vel severitas a te postulatur. M. Et me  
 hercule, ego me cupio non mendacem putari:  
 sed tamen nonnulli isti, Tite, faciunt imperite,  
 qui in isto periculo non ut a poeta, sed ut a teste,  
 veritatem exigant. nec dubito, quin iidem, &  
 cum Egeria collocutum Numam, & ab aquila  
 Tarquinio apicem impositum putent. Q. Intel- 5  
 ligo, te, frater, alias in historia leges observan-  
 das putare, alias in poemate. M. Quippe cum  
 in illa ad veritatem quæque referantur, in hoc  
 ad delectationem pleraque. quamquam & apud  
 Herodotum, patrem historiae, & apud Theo-  
 pompum sunt innumerabiles fabulae.

Att. Teneo, quam optabam, occasio- II.  
 nem, neque omittam. M. Quam tandem, Ti-  
 te? Att. Postulatur a te jamdiu, vel flagitatur  
 potius historia. sic enim putant, te illam tractan-  
 te, effici posse, ut in hoc etiam genere Graeciae  
 nihil cedamus. Atque, ut audias, quid ego ipse  
 sen-

fentiam, non solum mihi videris eorum studiis, qui litteris delectantur, sed etiam patriae debere hoc munus; ut ea, quae salva per te est, per te eundem sit ornata. abest enim historia litteris nostris, ut & ipse intelligo, & ex te per saepe audio, potes autem tu profecto satisfacere in ea, quippe cum sit opus, ut tibi quidem videri so-

6 let, unum hoc oratorium maxime. Quamobrem aggredere, quaesumus, & sume ad hanc rem tempus, quae est a nostris hominibus adhuc aut ignorata, aut relicta. Nam post annales pontificum maximorum, quibus nihil potest esse ieiunius: si aut ad Fabium, aut ad eum, qui tibi semper in ore est, Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Vennonium venias: quamquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile, quam isti omnes? Fannii autem aetate conjunctus Antipater paullo inflavit vehementius, habuitque vires agrestes ille quidem atque horridas, sine nitore, ac palaestra, sed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent. Ecce autem successere huic Gellii, Clodius, Asellio, nihil ad Coelium, sed potius ad antiquorum

7 languorem, atque inscitiam. Nam quid Macrum numerem? cujus loquacitas habet aliquid argu-

tia-

tiarum; nec id tamen ex illa erudita Graecorum copia, sed ex librariolis Latinis: in orationibus autem multus & ineptus, ad summam impudentiam. Sisenna, ejus amicus, omnes adhuc nostros scriptores, nisi qui forte nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superavit. Is tamen neque orator in numero vestro umquam est habitus, & in historia puerile quiddam confectatur: ut unum Clitarchum, neque praeterea quemquam, de Graecis legisse videatur: eum tamen velle duntaxat imitari: quem si assequi posset, aliquantum ab optimo tamen abesset. Quare tuum est munus: hoc a te expectatur: nisi quid Quinto videtur secus. Q. Mihi vero nihil: & saepe de isto collocuti sumus. III. sed est quaedam inter nos parva dissensio. Att. 8 Quae tandem? Q. A quibus temporibus scribendi capiat exordium. ego enim ab ultimis censeo, quoniam illa sic scripta sunt, ut ne legantur quidem: ipse autem aequalem aetatis suae memoriam deposcit, ut ea complectatur, quibus ipse interfuit. Att. Ego vero huic potius assentior. sunt enim maximae res in hac memoria, atque aetate nostra: tum autem hominis amicissimi, Cn. Pompeji, laudes illustrabit. incurret etiam

etiam in illummet memorabilem annum suum. quae ab isto malo praedicari, quam ut ajunt, de Remo & Romulo. M. Intellego equidem a me istum laborem jamdiu postulari, Attice: quem non recusarem, si mihi ullum tribueretur vacuum tempus & liberum. neque enim occupata opera, neque impedito animo, res tanta suscipi potest. utrumque opus est, & cura vacare, & negotio.

- 9 Att. Quid? ad cetera (quae scripisti plura, quam quisquam e nostris) quod tibi tandem tempus vacuum fuit concessum? M. Subseciva quaedam tempora incurrunt, quae ego perire non patior: ut siqui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum numerum accommodentur, quae scribimus. Historia vero nec institui potest, nisi praeparato otio; nec exiguo tempore absolvi: & ego animi pendere soleo, cum semel quid orsus traducor alio, neque tam facile interrupta contexo, quam
- 10 absolvo instituta. Att. Legationem aliquam nimirum oratio ista postulat, aut ejusmodi quampiam cessionem liberam atque otiosam. M. Ego vero aetatis potius vacationi confidebam, cum praesertim non recusarem, quo minus, more patrio sedens in folio, consulentibus responderem, senectutisque non inertis grato atque honesto fun-

fun-

fungerer munere. sic enim mihi liceret & isti rei,  
 quam desideras, & multis uberioribus, atque ma-  
 joribus, operae, quantum vellem, dare. Att.  
 Atqui vereor, ne istam causam nemo noscat: ti- IV.  
 bique semper dicendum sit, & eo magis, quod II  
 te ipse mutasti, & aliud dicendi instituisti genus:  
 ut quemadmodum Roscius, familiaris tuus, in  
 senectute numeros in cantu remiserat, ipsasque  
 tardiores fecerat tibias: sic tu a contentionibus,  
 quibus summis uti solebas, quotidie relaxes ali-  
 quid, ut jam oratio tua non multum a philoso-  
 phorum lenitate absit. quod sustinere cum vel  
 summa senectus posse videatur, nullam tibi a cau-  
 sis vacationem video dari. Q. At mehercule ego 12  
 arbitrabar posse id populo nostro probari, si te  
 ad jus respondendum dedisses. quamobrem, cum  
 placebit, experiendum tibi censeo. M. Id, siqui-  
 dem, Quinte, nullum esset in experiendo peri-  
 culum. sed vereor, ne, dum minuere velim la-  
 borem, augeam, atque ad illam causarum ope-  
 ram, ad quam ego numquam, nisi paratus &  
 meditatus accedo, adjungatur haec juris interpre-  
 tatio, quae non tam mihi molesta sit propter la-  
 borem, quam quod dicendi cogitationem auferat,  
 sine qua ad nullam majorem umquam causam sum

B

au-

**13** ausus accedere. Att. Quin igitur ista ipsa explicas nobis his subsecivis, ut ais, temporibus, & conscribis de jure civili subtilius, quam ceteri? Nam a primo tempore aetatis juri studere te memini, cum ipse etiam ad Scaevolam ventitarem: neque umquam mihi visus es ita te ad dicendum dedisse, ut jus civile contemneres.

M. In longum sermonem me vocas, Attice: quem tamen, nisi Quintus aliud quid nos agere mavult, suscipiam: &, quoniam vacui sumus, dicam. Q. Ego vero libenter audierim. quid enim agam potius? aut in quo melius hunc consumam diem? M. Quin igitur ad illa spatia nostra sedesque pergimus? ubi, cum fatis erit ambulatum, requiescemus. nec profecto nobis delectatio deerit, aliud ex alio quaerentibus. Att. Nos vero: & hac quidem adire, si placet, per ripam & umbram. Sed jam ordire explicare, quaeso, de jure civili quid sentias. M. Ego memini, summos fuisse in civitate nostra viros, qui id interpretari populo, & responsitare soliti sint: sed eos magna profectos, in parvis esse versatos. Quid enim est tantum, quantum jus civitatis? quid autem tam exiguum, quam est munus hoc eorum, qui consuluntur, quamquam est populo necessarium?

nec

nec vero eos, qui ei muneri praefuerunt, universi  
 juris expertes fuisse existimo, sed hoc civile quod  
 vocant, eatenus exercuerunt, quoad populum  
 praestare voluerunt. Id autem incognitum est,  
 minusque in usu necessarium. Quamobrem quo  
 me vocas? aut quid hortaris? ut libellos confi-  
 ciam de stillicidiorum ac de parietum jure? aut  
 ut stipulationum & judiciorum formulas com-  
 ponam? quae & scripta sunt a multis diligenter,  
 & sunt humiliora, quam illa, quae a vobis ex-  
 spectari puto. Att. Atqui, si quaeres, ego quid  
 expectem: quoniam scriptum est a te de optimo  
 reipublicae statu, consequens esse videtur, ut scri-  
 bas tu idem de legibus. sic enim fecisse video  
 Platonem illum tuum, quem tu admiraris, quem  
 omnibus anteponis, quem maxime diligis. M.  
 Visne igitur, ut ille Crete cum Clinia, & cum  
 Lacedaemonio Megillo, aestivo, quemadmodum  
 describit, die, in cupressetis Cnosiorum, & spa-  
 tiis silvestribus, crebro insistens, interdum ac-  
 quiescens, de institutis rerum publicarum, ac de  
 optimis legibus disputat: sic nos inter has pro-  
 cerissimas populos, in viridi opacaque ripa inam-  
 bulantes, tum autem residentes, quaeramus iisdem  
 de rebus aliquid uberius, quam forensis usus de-

V.

15

**16** fiderat? Att. Ego vero ista audire cupio. M.  
 Quid ait Quintus? Q. Nulla de re magis. M.  
 Et recte quidem. nam sic habetote, nullo in ge-  
 nere disputandi magis patefieri, quid sit homini  
 tributum natura, quantam vim rerum optima-  
 rum mens humana contineat, cujus muneris co-  
 lendi efficiendique causa nati, & in lucem editi  
 sumus, quae sit conjunctio hominum, quae natu-  
 ralis societas, inter ipsos. his enim explicatis,  
 fons legum, & juris inveniri potest. Att. Non  
**17** ergo a praetoris edicto, ut plerique nunc, neque  
 a XII tabulis, ut superiores, sed penitus ex in-  
 tima philosophia hauriendam juris disciplinam  
 putas. M. Non enim id quaerimus hoc sermone,  
 Pomponi, quemadmodum caveamus in jure, aut  
 quid de quaque consultatione respondeamus. Sit  
 ista res magna, sicut est: quae quondam a mul-  
 tis claris viris, nunc ab uno summa auctoritate,  
 & scientia sustinetur: sed nobis ita complectenda  
 in hac disputatione tota causa universi juris est  
 ac legum, ut hoc, civile quod dicimus, in par-  
 vum quendam, & angustum locum concludatur  
 naturae. natura enim juris explicanda est nobis,  
 eaque ab hominis repetenda natura: consideran-  
 dae leges, quibus civitates regi debeant: tum  
 hae



haec tractanda, quae composita sunt & descripta, jura & jussa populorum, in quibus ne nostri quidem populi latebunt, quae vocantur jura civilia. Q. Alte vero, & ut oportet, a capite, frater, repetis quod quaerimus: & qui aliter jus civile tradunt, non tam justitiae, quam litigandi tradunt vias. M. Non est ita, Quinte: ac potius ignoratio juris litigiosa est, quam scientia. Sed haec posterius. Nunc juris principia videamus.

VI.  
18

## DEFINITIO LEGIS.

Igitur doctissimis viris proficisci placuit a lege: haud scio an recte, si modo, ut iidem definiunt, Lex est ratio summa, insita in natura, quae jubet ea, quae facienda sunt prohibetque contraria. Eadem ratio, cum est in hominis mente confirmata & confecta, lex est. Itaque arbitrantur, prudentiam esse legem, cujus ea vis sit, ut recte facere jubeat, vetet delinquere: eamque rem illi Graeco putant nomine, a suum cuique tribuendo appellatam: ego nostro a legendo. nam ut illi aequitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus, & proprium tamen utrumque legis est. Quod si ita recte dicitur, ut mihi

qui-

19

quidem plerumque videri solet: a lege ducendum est juris exordium. ea est enim naturae vis: ea mens, ratioque prudentis: ea juris atque injuriae regula. Sed quoniam in populari ratione omnis nostra versatur oratio, populariter interdum loqui necesse erit, & eam legem, quae scripto sancit quod vult, aut jubendo, aut vetando, ut vulgus, appellare. Constituendi vero juris ab illa summa lege capiamus exordium, quae saeculis omnibus ante nata est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino civitas constituta.

20 Q. Commodius vero, & ad rationem instituti sermonis sapientius. M. Visne ergo, ipsius juris ortum a fonte reperamus? quo invento, non erit dubium, quo sint haec referenda, quae quaerimus. Q. Ego vero ita faciendum esse censeo. Att. Me quoque adscribito fratris sententiae. M. Quoniam igitur ejus reipublicae, quam optimam esse docuit in illis sex libris Scipio, tenendus est nobis & servandus status, omnesque leges accommodandae ad illud civitatis genus, ferendi etiam mores, nec scriptis omnia sancienda: repetam stirpem juris a natura, qua duce est nobis omnis

21 disputatio explicanda. Att. Rectissime: & quidem ista duce errari nullo pacto potest.

FONS

FONS JURIS PRIOR EX DIVINA  
NATURA DEDUCITUR.

M. Dasne igitur hoc nobis, Pomponi, (nam VII. Quinti novi sententiam) deorum immortalium vi natura ratione, potestate, mente, numine, sive quod est aliud verbum, quo planius significem, quod volo, naturam omnem regi? nam si hoc non probas, ab eo nobis causa ordianda est potissimum. Att. Do sane, si postulas. etenim propter hunc concentum avium strepitumque fluminum, non vereor, condiscipulorum nequis exaudiat.

M. Atqui cavendum est solent enim, id quod virorum bonorum est, admodum irasci. nec vero ferent, si audierint, te primum caput libri optimi prodidisse: in quo scripsit: *Nihil curare deum, nec sui, nec alieni.* Att. Perge, quaeso, nam id, <sup>22</sup> quod tibi concessi, quorsum pertineat exspecto.

M. Non faciam longius. huc enim pertinet. Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilii, quem vocamus Hominem, praeclara quadam conditione generatum esse a supremo Deo. solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis & cogitationis, cum cetera sint omnia expertia. Quid est autem, non dicam in homi-  
ne

ne, sed in omni coelo atque terra, ratione divi-  
 23 minatur rite Sapiaentia. Est igitur, quoniam nihil  
 est ratione melius. eaque & in homine, & in deo,  
 prima homini cum deo rationis societas. Inter  
 quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio  
 communis est. Quae cum sit lex, lege quoque  
 consociati homines cum diis putandi sumus. Inter  
 quos porro est communio legis, inter eos commu-  
 nio juris est. Quibus autem haec sunt inter eos  
 communia, & civitatis ejusdem habendi sunt. Si  
 vero iisdem imperiis, & potestatibus parent, mul-  
 to etiam magis; parent autem huic coelesti de-  
 scriptioni mentique divinae, & praepotenti deo:  
 ut jam universus hic mundus una civitas com-  
 munis deorum atque hominum existimanda sit.

VIII. Et quod in civitatibus ratione quadam, de qua  
 24 dicetur idoneo loco, agnationibus familiarum  
 distinguuntur status, id in rerum natura tanto est  
 magnificentius, tantoque praeclearius; ut homines  
 deorum agnatione & gente teneantur. Nam cum  
 de natura omni quaeritur, disputari solet (& ni-  
 mirum ita sunt, ut disputantur) perpetuis cur-  
 sibus, conversionibus coelestibus existisse quan-  
 dam maturitatem ferendi generis humani: quod  
 spar-

sparsum in terras atque fatum, divino auctum sit animorum munere. cumque alia, quibus cohaerent homines, e mortali genere sumserint, quae fragilia essent & caduca; animum tamen esse ingeneratum a deo: ex quo vere vel agnatio nobis cum coelestibus, vel genus, vel stirps appellari potest. itaque ex tot generibus nullum est animal, praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam dei: ipsisque in hominibus, nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera, quae non, etiam si ignoret, qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat. Ex quo efficitur illud, ut is agnoscat Deum, qui, unde ortus sit, quasi recordetur, ac noscat.

Jam vero virtus eadem in homine, ac deo est, neque ullo alio ingenio praeterea. est autem virtus nihil aliud, quam in se perfecta & ad summum perducta natura. est igitur homini cum deo similitudo. Quod cum ita sit, quae tandem potest esse propior certiorve cognatio?

Itaque ad hominum commoditates & usus, tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea, quae gignuntur, donata consulto nobis, non fortuito nata videantur: nec solum ea, quae frugibus atque baccis terrae foetu profunduntur, sed etiam

etiam pecudes: quod perspicuum sit, partim esse ad usum hominum, partim ad fructum, partim ad vescendum procreatas. Artes vero innumera-

26 biles repertae sunt, docente natura. quam imitata ratio, res ad vitam necessarias sollerter con-

IX. secuta est. Ipsum autem hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed etiam sensus, tamquam satellites attribuit, ac nuntios: & rerum plurimarum obscurarum necessarias intelligentias enudavit, quasi fundamenta quaedam scientiae: figuramque corporis habilem, & aptam ingenio humano dedit. nam cum ceteras animantes abjecisset ad partem, solum hominem erexit, ad coelique, quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitavit: tum speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos

27 mores effingeret. Nam & oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur: & is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse, praeter hominem, potest, indicat mores: cuius vim Graeci norunt, nomen omnino non habent. Omitto opportunitates, habilitatesque reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quae conciliatrix est humanae maxime societatis. Neque enim omnia sunt hu-

jus

jus disputationis, ac temporis: & hunc locum satis, ut mihi videtur, in iis libris, quos legistis, expressit Scipio. Nunc quoniam hominem, quod principium reliquarum rerum esse voluit, generavit & ornavit Deus, perspicuum sit illud (ne omnia differantur) ipsam per se naturam longius progredi: quae etiam nullo docente profecta ab iis, quorum, ex prima & inchoata intelligentia, genera cognovit, confirmat ipsa per se rationem, & perficit.

FONS JURIS ALTER EX COMMUNI  
HOMINUM NATURA DERIVATUR.

Att. Dii immortales, quam tu longe juris principia repetis! atque ita, ut ego non modo ad illa non properem, quae expectabam a te de jure civili, sed facile patiar, te hunc diem vel totum in isto sermone consumere. sunt enim haec majora, quae aliorum causa fortasse complecteris, quam ipsa illa, quorum haec causa praeparantur. M. Sunt haec quidem magna, quae nunc breviter attinguntur: sed omnium, quae in hominum doctorum disputatione versantur, nihil est profecto praestabilius, quam plane intelligi, nos ad justitiam esse natos, neque opinione, sed

na-

X.  
28

natura constitutum esse jus. Id jam patebit, si  
 hominum inter ipsos societatem, conjunctionem-  
 29 que perspexeris. Nihil est enim unum uni tam  
 simile, tam par, quam omnes inter nosmetipfos  
 sumus. Quod si depravatio consuetudinum, si  
 opinionum vanitas non imbecillitatem animorum  
 torqueret & flecteret, quocumque coepisset: sui  
 nemo ipse tam similis esset, quam omnes sunt  
 omnium, itaque quaecumque est hominis defini-  
 30 tio, una in omnes valet. Quod argumenti satis  
 est, nullam dissimilitudinem esse in genere, quae si  
 esset, non una omnes definitio contineret. Ete-  
 nim ratio, qua una praestamus belluis, per quam  
 conjectura valemus, argumentamur, refellimus,  
 differimus, conficimus aliquid, concludimus,  
 certe est communis, doctrina differens, discenti  
 quidem facultate par. nam & sensibus eadem  
 omnia comprehenduntur: & ea, quae movent  
 sensus, itidem movent omnium: quaeque in  
 animis imprimuntur, de quibus ante dixi, in-  
 choatae intelligentiae, similiter in omnibus im-  
 primuntur: interpretque est mentis oratio, ver-  
 XI. bis discrepans, sententiis congruens. Nec est  
 quisquam gentis illius, qui, ducem naturam nac-  
 tus, ad virtutem pervenire non possit.

Nec



Nec solum in rectis, sed etiam in pravita- 31  
 tibus, insignis est humani generis similitudo.  
 nam & voluptate capiuntur omnes: quae etsi  
 illecebra turpitudinis, tamen habet quiddam  
 simile naturalis boni. laevitate enim & suavitate  
 delectans, sic ab errore mentis, tamquam salu-  
 tare aliquid, asciscitur; similique inscitia mors  
 fugitur, quasi dissolutio naturae: vita expetitur,  
 quia nos, in quo nati sumus, continet: dolor  
 in maximis malis ducitur, cum sua asperitate,  
 tum quod naturae interitus videtur sequi. Prop- 32  
 terque quandam honestatis & gloriae similitudi-  
 nem, beati, qui honorati sunt, videntur: miseri  
 autem, qui inglorii. molestiae, laetitiae, cupidi-  
 tates, timores, similiter omnium mentes pervan-  
 gantur: nec, si opiniones aliae sunt apud alios,  
 idcirco, qui canem, & felem, ut deos, colunt,  
 non eadem superstitione, qua ceterae gentes,  
 conflictantur.

Quae autem natio non comitatem, non  
 benignitatem, non gratum animum & beneficii  
 memorem diligit? quae superbos, quae male-  
 ficos, quae crudeles, quae ingratos non asper-  
 natur, non odit? quibus ex rebus cum omne  
 genus hominum sociatum inter se esse intelliga-  
 tur,

tur, illud extremum est, quod recte vivendi ratio meliores efficit. Quae si approbatis, pergam ad reliqua: sin quid requiritis, id explicemus prius. Att. Nos vero nihil: ut pro utroque respondeam.

XII.

33

M. Sequitur igitur, ad participandum alium ab alio, communicandumque inter omnes jus, nos natura esse factos. atque hoc in omni hac disputatione sic intelligi volo jus, quod dicam naturam esse: tantam autem esse corruptelam malae consuetudinis, ut ab ea tamquam igniculi exstinguantur a natura dati, exorianturque, & confirmentur vitia contraria. Quod si quo modo est natura, sic iudicio homines, humani (ut ait poeta) nihil a se alienum putarent, coleretur jus aequè ab omnibus. quibus enim ratio a natura data est, iisdem etiam recta ratio data est: ergo & lex, quae est recta ratio in jubendo, & vetando: si lex, jus quoque. at omnibus ratio; jus igitur datum est omnibus. recteque Socrates execrari eum solebat, qui primus utilitatem a natura sejunxisset. Id enim querebatur caput esse exitiorum omnium.

34

... Unde est illa Pythagorea vox, ΤΑ ΤΩΝ ΦΙΛΩΝ ΚΟΙΝΑ, καὶ ΦΙΛΙΑΝ ΙΣΟΤΗΤΑ. ex  
quo

quo perspicitur, cum hanc benivolentiam tam late longeque diffusam vir sapiens in aliquem pari virtute praeditum contulerit, tum illud effici, quod quibusdam incredibile videatur, sit autem necessarium, ut nihilo sese plus, quam alterum diligat. Quid enim est, quod differat, cum sint cuncta paria? quod si interesse quippiam tantulum modo potuerit, jam amicitiae nomen occiderit: cujus est ea vis, ut, simul atque sibi aliquid, quam alteri, maluerit, nulla sit. Quae praemuniuntur omnia reliquo sermoni, disputationique nostrae, quo facilius jus in natura esse positum, intelligi possit. De quo cum 35 perpauca dixerō, tum ad jus civile veniam, ex quo haec omnis nata est oratio.

Q. Tu vero jam perpauca scilicet. ex iis XIII, enim quae dixisti, nisi quid Attico videtur, mihi quidem certe, ex natura ortum esse jus. Att. An mihi aliter videri possit, cum haec jam perfecta sint: primum quasi muneribus deorum nos esse instructos & ornatos: secundo autem, unum esse hominum inter ipsos vivendi parem communemque rationem: deinde omnes inter se naturali quadam indulgentia & benivolentia, tum etiam societate juris contineri? quae cum vera esse

esse recte, ut arbitror, concesserimus, qui jam licet nobis a natura leges & jura sejungere? M.

36 Recte dicis: & res sic se habet. Verum philosophorum more, non veterum quidem illorum; sed eorum, qui quasi officinas instruxerunt sapientiae: quae fusa olim disputabantur, ac libere, ea nunc articulatim distincteque dicuntur. nec enim satisfieri censent huic loco, qui nunc est in manibus, nisi separatim hoc ipsum, naturae esse jus, disputarint. Att. Et scilicet tua libertas differendi amissa est: aut tu is es, qui in disputando non tuum iudicium sequare, sed

37 auctoritati aliorum pareas? M. Non semper, Tite: sed iter hujus sermonis quod sit, vides. ad respublicas firmandas, & ad stabiliendas leges et sanandos populos, omnis nostra pergit oratio. Quocirca vereor committere, ut non bene provisa & diligenter explorata principia ponantur (nam id fieri non potest) sed ut iis, qui omnia recta atque honesta, per se expetenda duxerunt, & aut nihil omnino in bonis numerandum, nisi quod per se ipsum laudabile esset, aut certe nullum habendum magnum bonum, nisi quod vere laudari sua sponte posset: his omnibus (sive in Academia vetere cum Speusippo, Xenocrate,

Po-

Polemone manserunt: Sive Aristotelem, & Theo- 38  
 phrastum, cum illis re congruentes. genere do-  
 cendi paulum differentes, secuti sunt: sive, ut  
 Zenoni visum est, rebus non commutatis, im-  
 mutaverunt vocabula: sive etiam Aristonis diffi-  
 cilem atque arduam, sed jam tamen fractam &  
 convictam sectam secuti sunt, ut, virtutibus ex-  
 ceptis atque vitiis, cetera in summa aequalitate  
 ponerent) his omnibus haec, quae dixi, proban-  
 tur. Sibi autem indulgentes, & corpori deser- 39  
 vientes, atque omnia, quae sequantur in vita,  
 quaeque fugiant, voluptatibus & doloribus pon-  
 derantes, etiam si vera dicunt, (nihil enim opus  
 est hoc loco litibus) in hortulis suis jubeamus  
 dicere, atque etiam ab omni societate reipubli-  
 cae, cujus partem nec norunt ullam, nec un-  
 quam nosse voluerunt, paullisper faceffant, ro-  
 gemus. Perturbatricem autem harum omnium  
 rerum Academiam, hanc ab Arcesila & Carne-  
 ade recentem, exoremus, ut fileat: nam si inva-  
 ferit in haec, quae satis scite nobis instructa &  
 composita videntur, nimias edet ruinas. quam  
 quidem ego placare cupio, submovere non au-  
 deo.

JUS

JUS ESSE IN NATURA POSITUM  
UBERIUS DEMONSTRATUR.

XIV.

40

... Nam & in iis sine ullis suffimentis expiati sumus. At vero scelerum in homines atque impietatum nulla expiatio est. Itaque poenas luunt non tam judiciis, (quae quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla sunt, ubi sunt tamen, per saepe falsa sunt) quam ut eos agitent, insectenturque furiae, non ardentibus taedis, sicut in fabulis, sed angore conscientiae, fraudisque cruciatu. Quod si homines ab injuria paena, non natura arcere deberet, quaenam sollicitudo vexaret impios, sublato suppliciorum metu? quorum tamen nemo tam audax umquam fuit, quin aut abnueret a se commissum esse facinus, aut justii sui doloris causam aliquam fingeret, defensionemque facinoris a naturae jure aliquo quaereret. Quae si appellare audent impii, quo tandem studio colentur a bonis?

41

Quod si poena, si metus supplicii, non ipsa turpitudine, deterret ab injuriosa facinorosaque vita: nemo est injustus; aut incauti potius habendi sunt improbi. Tum autem qui non ipso honesto movemur, ut boni viri simus, sed utilita-

lita-

litate aliqua atque fructu, callidi sumus, non boni. nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet, nisi testem, & judicem? quid, in deserto loco nactus, quem multo auro spoliare possit, imbecillum atque solum? noster quidem hic natura justus vir, ac bonus, etiam colloquetur, juvabit, in viam deducet: is vero, qui nihil alterius causa facit, & metitur suis commodis omnia, videtis, credo, quid sit acturus. Quod si negabit, se illi vitam erepturum, & aurum ablaturum; numquam ob eam causam negabit, quod id natura turpe judicet, sed quod metuat, ne emanet, id est, ne malum habeat. O rem dignam, in qua non modo docti, verum etiam agrestes erubescant!

Jam vero illud stultissimum, existimare omnia justa esse, quae scita sint in populorum institutis, aut legibus. Etiamne, si quae leges sint tyrannorum? si triginta illi Athenis leges imponere voluissent? aut, si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco hae leges justae haberentur? nihilo, credo, magis illa, quam interrex noster tulit, ut dictator, quem vellet civium, indicta causa impune posset occidere. est enim unum jus, quo devincta

est hominum societas, & quod lex constituit una. quæ lex est recta ratio imperandi atque prohibendi: quam qui ignorat, is est injustus, siue est illa scripta usquam, siue nusquam. Quod si iustitia est obtemperatio scriptis legibus, institutisque populorum, & si, ut iidem dicunt, utilitate omnia metienda sunt: negliget leges, easque perrumpet, si poterit, is, qui sibi eam rem fructuosam putabit fore. Ita fit, ut nulla sit omnino iustitia; si neque natura est, & ea, quæ propter utilitatem constituitur, utilitate alia convel-

43 litur. Atqui, si natura confirmatum jus non erit, virtutes omnes tollentur. ubi enim liberalitas, ubi patriæ caritas, ubi pietas, ubi aut bene merendi de altero, aut referendæ gratiæ voluntas poterit existere? nam hæc nascuntur ex eo, quod natura propensi sumus ad diligendos homines: quod fundamentum juris est: neque solum in homines obsequia, sed etiam in deos cærimoniarum religionesque tollentur: quas non metu, sed ea conjunctione, quæ est homini cum deo, conservandas puto.

XVI. Quod si populorum iussis, si principum decretis, si sententiis iudicum, jura constituerentur; jus esset latrocinari: jus, adulterare: jus, testamenta falsa supponere, si hæc  
suf-



suffragiis aut scitis multitudinis probarentur.  
 Quæ si tanta potestas est stultorum sententiis at- 44  
 que jussis, ut eorum suffragiis rerum natura ver-  
 tatur: cur non fanciunt, ut, quæ mala pernicio-  
 saque sunt, habeantur pro bonis ac salutaribus?  
 aut cur, cum jus ex iniuria lex facere possit, bo-  
 num eadem facere non possit ex malo? Atqui  
 nos legem bonam a mala, nulla alia nisi naturæ  
 norma dividere possumus.

Nec solum jus & injuria a natura dijudi-  
 cantur, sed omnino omnia honesta, ac turpia.  
 nam & communis intelligentia nobis notas res  
 efficit, easque in animis nostris inchoat, ut ho-  
 nesta in virtute ponantur, in vitiis turpia. Hæc 45  
 autem in opinione existimare, non in natura po-  
 sita, dementis est. Nam nec arboris, nec equi  
 virtus, quæ dicitur, (in quo abutimur nomine)  
 in opinione sita est, sed in natura. quod si ita est;  
 honesta quoque & turpia natura dijudicanda  
 sunt. Nam si opinione universa virtus, eadem  
 ejus etiam partes probarentur. Quis igitur pru-  
 dentem, & ut ita dicam, catum, non ex ipsius  
 habitu, sed ex aliqua re externa judicet? est  
 enim virtus perfecta ratio: quod certe in natura  
 est: igitur omnis honestas eodem modo. Nam XVII.

ut vera, & falsa, ut consequentia, & contraria, sua sponte, non aliena judicantur: sic constans & perpetua ratio vitæ, quæ; est virtus itemque inconstantia, quod est vitium, sua natura probatur. Nos ingenia juvenum nonne ad ingenitam naturæ vim referenda censemus? Virtutes autem et vitia, quæ existunt ab ingeniis, judicabuntur ne ea aliter? honesta igitur et turpia ad naturam referri necesse erit.

Quod bonum est, in se habeat quod laudetur necesse est. ipsum enim bonum, non est opinionibus, sed natura. nam ni ita esset, beati quoque opinione essent. quo quid dici potest stultius? quare cum & bonum & malum natura judicetur, & ea sint principia naturæ: certe honesta quoque & turpia simili ratione dijudicanda, & ad naturam referenda sunt.

47 Sed perturbat nos opinionum varietas hominumque dissensio: & quia non idem contingit in sensibus, hos natura certos putamus: illa, quæ aliis sic, aliis secus, nec iisdem semper uno modo videntur, ficta esse ducimus. quod est longe aliter. Nam sensus nostros non parens, non nutrix, non magister, non poeta, non scena depravat, non multitudinis consensus abducit a vero.

vero. Animis omnes tenduntur insidiæ, vel ab iis, quos modo enumeravi, qui teneros & rudes cum acceperunt, inficiunt, & flectunt, ut volunt, vel ab ea, quae penitus in omni sensu implicata infidet, imitatrix boni, voluptas, malorum autem mater omnium: cujus blanditiis corrupti, quæ natura bona sunt, quia dulcedine hac & scabie carent, non cernimus satis.

Sequitur, ut conclusa mihi jam hæc sit XVIII.  
48  
 omnis ratio, (id quod ante oculos ex iis est, quæ dicta sunt) & jus, & omne honestum, sua sponte esse expetendum. Etenim omnes viri boni ipsam æquitatem, & jus ipsum amant, nec est viri boni, errare, & diligere, quod per se non sit diligendum. Per se igitur jus est expetendum, & colendum. quod si jus, etiam justitia: sin ea, reliquæ quoque virtutes per se colendæ sunt.

Quid? liberalitas gratuitane est, an mercenaria? si sine præmio est, gratuita: si cum mercede, conducta: nec est dubium, quin is, qui liberalis, benignusve dicitur, officium, non fructum sequatur. Ergo item justitia nihil exprimit præmii, nihil pretii. per se igitur expetitur. eademque omnium virtutum causa atque sententia est. Atque etiam si emolumentis, non 49

sua sponte virtus expenditur, una erit virtus, quæ malitia rectissime dicetur. Ut enim quisque maxime ad suum commodum refert, quæcumque agit, ita minime est vir bonus; ut, qui virtutem præmio metiuntur, nullam virtutem, nisi malitiam putent. Ubi enim beneficus, si nemo alterius causa benigne facit? ubi gratus, si non eum ipsum cernunt grati, cui referunt gratiam? ubi illa sancta amicitia, si non ipse amicus per se amatur toto pectore, ut dicitur? qui etiam deserendus & abjiciendus est, desperatis emolumentis & fructibus quo quid potest dici immanius? quod si amicitia per se colenda est, societas quoque hominum, & æqualitas, & justitia, per se expetenda. Quod ni ita est, omnino justitia nulla est. id enim injustissimum ipsum est, justitiæ mercedem quærere.

**XIX.** Quid vero de modestia, quid de temperantia, quid de continentia, quid de verecundia, pudore, pudicitiaque dicemus? infamiæne metu non esse petulantes: an legum & judiciorum? Innocentes ergo, & verecundi sunt, ut bene audiant, & ut rûmorem bonum colligant? Eru-bescunt pudici etiam loqui de pudicitia. ac me nimis istorum philosophorum pudet, qui nullum  
vi-

vitium vitare, nisi iudicio ipso notatum, putant. Quid enim? possumus eos, qui a stupro arcen-  
 tur infamiæ metu, pudicos dicere, cum ipsa in-  
 famia propter rei turpitudinem consequatur?  
 nam quid aut laudari rite, aut vituperari potest,  
 si ab ejus natura recesseris, quod aut laudandum,  
 aut vituperandum putes? an corporis pravitates,  
 si erunt perinsignes, habebunt aliquid offensionis:  
 animi deformitas non habebit? cujus turpitude  
 ex ipsis vitiis facillime perspici potest. quid enim  
 foedius avaritia, quid immanius libidine, quid  
 contemptius timiditate, quid abjectius tarditate &  
 stultitia dici potest? Quid ergo? eos, qui singu-  
 lis vitiis excellunt, aut etiam pluribus, propter  
 damna, aut detrimenta, aut cruciatus aliquos,  
 miseros esse dicimus, an propter vim turpitudi-  
 nemque vitiorum? quod item ad contrariam lau-  
 dem in virtutem dici potest.

Postremo, si propter alias res virtus expe-  
 titur, melius esse aliquid, quam virtutem, ne-  
 cesse est. Pecuniamne igitur? an honores? an  
 formam? an valitudinem? quæ &, cum adsunt,  
 perparva sunt; &, quam diu affutura sint, cer-  
 tum sciri nullo modo potest. an, (quod turpissi-  
 mum dictu est) voluptatem? at in ea quidem

spernenda & repudianda virtus vel maxime cer-  
nitur.

Videtisne, quanta series rerum sententia-  
rumque sit: atque ut ex alio alia nectantur?  
quin labebar longius, nisi me retinuissem. Q.

XX. Quo tandem? libenter enim, frater, ad istam  
orationem tecum prolaberer. M. Ad finem bo-  
norum, quo referuntur, & cujus apiscendi causa  
sunt facienda omnia: controversam rem, & ple-  
nam dissensionis inter doctissimos, sed aliquando  
tamen judicandam. Att. Qui istuc fieri potest,

53 L. Gellio mortuo? M. Quid tandem id ad rem?

Att. Quia me Athenis audire ex Phædro meo  
memini, Gellium, familiarem tuum, cum  
proconsule ex prætura in Græciam venisset, Athe-  
nis philosophos, qui tum erant, in locum unum  
convocasse, ipsisque magnopere auctorem fu-  
isse, ut aliquando controversiarum aliquem fa-  
cerent modum. quod si essent eo animo, ut  
nollent ætatem in litibus conterere; posse rem  
convenire: & simul operam suam illis esse  
pollicitum, si posset inter eos aliquid con-  
venire. M. Jocularè istuc quidem, Pomponi, &  
a multis sæpe derisum. sed ego plane vellem me  
arbitrum inter antiquam Academiam, & Zeno-  
nem

nem datum. Att. Quo tandem istuc modo? M. Quia de re una solum dissident. de ceteris mirifice congruunt. Att. Ain tandem? una de re est solum dissensio? M. Quæ quidem ad rem 54 pertineat, una: quippe cum antiqui omnes, quod secundum naturam esset, quo juvaremur in vita, bonum esse decreverint: hic, nisi quod honestum esset, nihil putarit bonum. Att. Perparvâ vero controversiam dicis, ac non eam, quæ dirimat omnia. M. Probe quidem sentis, si re, ac non verbis dissident. Att. Ergo assentiris Antiocho XXI, familiari meo (magistro enim non audeo dicere) quocum vixi, & qui me ex nostris pæne convellit hortulis, deduxitque in Academiam perpauca passibus. M. Vir iste fuit ille quidem prudens & acutus, & in suo genere perfectus, mihi que, ut scis, familiaris: cui tamen ego assentiar in omnibus, necne, mox videro: hoc dico, controversiam totam istam posse sedari. Att. 55 Qui istuc tandem vides? M. Quia si, ut Chius Aristoteli dixit, solum bonum esse diceret, quod honestum esset, malumque, quod turpe, ceteras res omnes plane pares, ac ne minimum quidem, utrum adessent, an abessent, interesse: valde a Xenocrate, & Aristotele, & ab illa Platonis fami-

mi-

milia discreparet, essetque inter eos de re maxima, & de omni vivendi ratione dissensio. Nunc vero cum decus, quod antiqui summum bonum esse dixerunt, hic solum bonum dicat: item dedecus, quod illi summum malum, hic solum: divitias, valitudinem, pulcritudinem, commodas res appellet, non bonas: paupertatem, debilitatem, dolorem, incommodas, non malas: sentit idem, quod Xenocrates, quod Aristoteles: loquitur alio modo. Ex hac autem non rerum, sed verborum discordia, controversia nata est de finibus: in qua quoniam usucapionem XII tabulæ intra quinque pedes esse noluerunt, depasce veterem possessionem Academiæ ab hoc acuto homine non finemus; nec Manilia lege singuli, sed ex iis tres arbitri fines regemus.

56

Q. Quamnam igitur sententiam dicimus?  
 M. requiri placere terminos, quos Socrates pegerit, iisque parere. Q. Præclare, frater, jam nunc a te verba usurpantur civilis juris & legum: quo de genere expecto disputationem tuam. nam ista quidem magna dijudicatio est, ut ex te ipso sæpe cognovi. Sed certe res ita se habet, ut ex natura vivere, summum bonum fit, id est, vita  
 mo-



modica, & apta virtute perfrui: aut naturam sequi, & ejus quasi lege vivere, id est, nihil, quantum in ipso sit, prætermittere, quo minus ea, quae natura postulet, consequatur, quod inter hæc velit virtute tamquam lege vivere. Quapropter hoc dijudicari nescio an numquam, sed hoc sermone certe non potest, si quidem id, quod suscepimus, perfecturi simus. Att. At ego huc declinabam nec invitus. Q. Licebit alias: **XXII.** nunc id agamus, quod coepimus, cum præfer- **57** tim ad id nihil pertineat hæc de summo malo bonoque dissensio. M. Prudentissime, Quinte, dicis. nam quæ a me adhuc dicta sunt. ....

Q. Nec Lycurgi leges, nec Solonis, neque Charondæ, neque Zaleuci, nec nostras XII tabulas, nec plebiscita desidero: sed te existimo cum populis, tum etiam singulis, hodierno sermone leges vivendi, & disciplinam daturum. M. Est **58** hujus vero disputationis. Quinte, proprium id, quod exspectas: atque utinam esset etiam facultatis meæ! Sed profecto ita se res habet, ut, quoniam vitiorum emendatricem legem esse oportet, commendatricemque virtutum, ab ea vivendi doctrina ducatur. Ita fit, ut mater omnium bonarum artium sapientia sit: a cujus amore  
Græ-

Græco verbo philosophia nomen invenit: quæ nihil a diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil præstabilius hominum vitæ datum est. hæc enim una nos cum ceteras res omnes, tum, quod est difficillimum, docuit, ut nosmet ipsos nosceremus: cujus præcepti tanta vis, tanta sententia est, ut ea non homini cuiquam, sed Delphico deo tribueretur. Nam qui se ipse norit, primum aliquid sentiet se habere divinum, ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod, dedicatum putabit; tantoque munere deorum semper dignum aliquid & faciet, & sentiet: & cum se ipse tentarit, totumque perspexerit; intelliget, quemadmodum a natura subornatus in vitam venerit, quantaque instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam: quoniam principio rerum omnium quasi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit: quibus illustratus, sapientia duce, bonum virum, & ob eam ipsam causam cernat se beatum fore.

XXIII.

60 Nam cum animus, cognitis perceptisque virtutibus, a corporis obsequio indulgentiaque discesserit, voluptatemque, sicut labem aliquam decoris, oppresserit, omnemque mortis, dolorisque timorem effugerit, societatemque caritatis eoierit  
cum

cum suis, omnesque natura conjunctos suos duxerit, cultumque deorum & puram religionem susceperit, & exacerit illam, ut oculorum, sic ingenii aciem, ad bona deligenda, & rejicienda contraria: quæ virtus ex providendo est appellata Prudentia: quid eo dici, aut cogitari poterit beatius? Idemque cum coelum, terras, maria, rerumque omnium naturam perspexerit, eaque unde generata, quo recurrant, quando, quomodo obitura, quid in iis mortale & caducum, quid divinum, æternumque sit, viderit, ipsumque ea moderantem & regentem pæne prehenderit, seseque non unius circumdatum moenibus loci, sed civem totius mundi, quasi unius urbis, agnoverit: in hac ille magnificentia rerum, atque in hoc conspectu & cognitione naturæ, dii immortales! quam ipse se noscet? quod Apollo præcepit Pythius: quam contemnet, quam despiciet, quam pro nihilo putabit ea, quæ vulgo dicuntur amplissima?

Atque hæc omnia, quasi sepimento aliquo, vallabit differendi ratione, veri & falsi judicandi disciplina & scientia, & arte quadam intelligendi, quid quamque rem sequatur, & quid sit cuique contrarium. Cumque se ad civilem societatem

tem natum senserit, non solum illa subtili disputatione sibi utendum putabit, sed etiam fusa latius perpetua oratione, qua regat populos, qua stabiliat leges, qua castiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros viros: qua præcepta salutis et laudis apte ad persuadendum edat suis civibus: qua hortari ad decus, revocare a flagitio, consolari possit afflictos, factaque & consulta fortium & sapientum, cum improborum ignominia, sempiternis monumentis prodere. Quæ cum tot res, tantæque sint, quæ inesse in homine perspiciantur ab iis, qui seipsi velint nosse; earum parens est educatrixque sapientia. Att. Laudata quidem a te graviter & vere. Sed quorsum hæc pertinent? M. Primum ad ea, Pomponi, de quibus acturi jam sumus: quæ tanta esse volumus: non enim erunt, nisi ea fuerint, unde illa manant, amplissima. Deinde facio & libenter, & ut spero, recte, quod eam, cujus studio teneor, quæque me eum, quicumque sum, effecit, non possum silentio præterire. Att. Vero facis & merito, fuitque id, ut dicis, in hoc sermone faciundum.

M. TUL-

M. T. CICERONIS  
DE LEGIBUS

LIBER SECUNDUS,  
INTERLOCUTORES ATTICUS, MARCUS ET  
QUINTUS CICERONES.

PROOEMIUM.

Sed visne, quoniam & satis jam ambulatum est, I.  
& tibi aliud dicendi initium sumendum est, lo-  
cum mutemus, & in insula, quæ est in Fibreno,  
(nam opinor illi alteri flumini nomen esse) ser-  
moni reliquo demus operam, sedentes? M. Sane  
quidem, nam illo loco. libentissime soleo uti,  
sive quid mecum ipse cogito, sive quid aut scribo,  
aut lego. Att. Equidem, qui nunc primum huc 2  
venerim, fatiari non queo: magnificasque villas,  
& pavimenta marmorea, & laqueata tecta con-  
temno. ductus vero aquarum, quos isti nilos] & eu-  
ripos vocant, quis non cum hæc videat, irrife-  
rit? Itaque, ut tu paullo ante de lege & jure  
differens, ad naturam referebas omnia; sic in  
his ipsis rebus, quæ ad quietem animi delecta-  
D tio-

tionemque quæruntur, natura dominatur. Quare antea mirabar, (nihil enim his in locis nisi faxa, & montes cogitabam: idque ut facerem, & orationibus inducebar tuis, & versibus) sed mirabar, ut dixi, te tam valde hoc loco delectari: nunc contra miror, te, cum Roma absis, usquam potius esse. M. Ego vero, cum licet plures dies abesse, præsertim hoc tempore anni, & amœnitatem hanc & salubritatem sequor, raro autem licet.

Sed nimirum me alia quoque causa delectat, quæ te non attingit ita. Att. Quæ tandem ista causa est? M. Quia, si verum dicimus, hæc est mea, & hujus fratris mei germana patria: hinc enim orti stirpe antiquissima sumus: hic sacra, hic genus, hic majorum multa vestigia. Quid plura? hanc vides villam, ut nunc quidem est, latius ædificatam patris nostri studio: qui cum esset infirma valitudine, hic fere ætatem egit in literis. sed hoc ipso in loco, cum avus viveret, & antiquo more parva esset villa, ut illa Curiana in Sabinis, me scito esse natum. Quare inest, nescio quid, & latet in animo ac sensu meo, quo me plus hic locus fortasse delectet: siquidem etiam ille sapientissimus vir, Ithacani

vt

ut videret, immortalitatem scribitur repudiasse.

Att. Ego vero tibi istam justam causam puto,  
 cur huc libentius venias, atque hunc locum di-  
 ligas. Quin ipse, vere dicam, sum illi villæ  
 amencior modo factus, atque huic omni solo, in  
 quo tu ortus & procreatus es: movemur enim  
 nescio quo pacto locis ipsiis, in quibus eorum,  
 quos diligimus, aut admiramur, adsunt vestigia.  
 me quidem ipsæ illæ nostræ Athenæ non tam  
 operibus magnificis, exquisitisque antiquorum  
 artibus delectant, quam recordatione summorum  
 virorum, ubi quisque habitare, ubi sedere, ubi  
 disputare sit solitus: studioseque eorum etiam  
 sepulcra contemplor. quare istum, ubi tu es na-  
 tus, plus amabo posthac locum. M. Gaudeo  
 igitur, me incunabula pæne mea tibi ostendisse.

Att. Equidem me cognosse admodum gaudeo.  
 Sed illud tamen quale est, quod paullo ante di-  
 xisti; hunc locum (idem ego te accipio dicere  
 Arpinum) germanam patriam esse vestram?  
 numquid duas habetis patrias? an est illa una  
 patria communis? nisi forte sapienti illi Catoni  
 fuit patria non Roma, sed Tusculum. M. Ego  
 me hercule & illi, & omnibus municipibus duas  
 esse censeo patrias: unam naturæ: alteram, ci-

vitatis: ut ille Cato, cum esset Tusculi natus, in  
 .11  
 4  
 populi Romani civitatem susceptus est. itaque,  
 cum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus,  
 habuit alteram loci patriam, alteram juris: ut  
 vestri Attici, postquam Theseus eos demigrare  
 ex agris, & in astu, quod appellatur, omnes se  
 conferre iussit, & Sunii erant iidem & Attici;  
 sic nos & eam patriam dicimus, ubi nati, &  
 illam, qua excepti sumus. sed necesse est, cari-  
 tate eam præstare, quæ populi Romani universi  
 civitas est: pro qua mori, & cui nos totos de-  
 dere, & in qua nostra omnia ponere, & quasi  
 consecrare debemus. Dulcis autem non multo  
 secus est ea, quæ genuit, quam illa, quæ exce-  
 pit. itaque ego hanc meam esse patriam prorsus  
 nunquam negabo, dum illa sit major, & hæc in  
 III. ea contineatur. Att. Recte igitur Magnus ille  
 6  
 noster, me audiente, posuit in iudicio, cum pro  
 Balbo tecum simul diceret, rempublicam nostram  
 justissimas huic municipio gratias agere posse,  
 quod ex eo duo sui conservatores exstitissent: ut  
 jam videar adduci, hanc quoque, quæ te pro-  
 creavit, esse patriam tuam.

Q. Sed ventum in insulam est. Hac vero  
 nihil est amœnius, ut enim hoc quasi rostro fini-  
 ditur



ditur Fibrenus, & divisus æqualiter in duas partes latera hæc alluit, rapideque dilapsus cito in unum confluit, & tantum complectitur, quod satis sit modicæ palæstræ, loci. quo effecto, tamquam id habuerit operis ac muneris, ut hanc nobis efficeret sedem ad disputandum, statim præcipitat in Lirem, &, quasi in familiam patriciam venerit, amittit nomen obscurius, Liremque multo gelidiorum facit. nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi, cum ad multa accesserim, ut vix pede tentare id possim: quod in Phædro Platonis facit Socrates. M. Est vero ita: sed tamen huic amœnitati, quem ex Quinto sæpe audio, Thyamis Epirotes tuus ille nihil, opinor, concesserit. Q. Est ita, ut dicis. cave enim putes Attici nostri Amaltheo, platanisque illis quidquam esse præclarius. Sed, si videtur, confidamus hic in umbra, atque ad eam partem sermonis, ex qua egressi sumus, revertamur. M. Præclare exigis, Quinte: (at ego effugisse arbitrabar:) & tibi horum nihil deberi potest. Q. Ordire igitur: nam hunc tibi totum dicamus diem.

M. *A Jove Musarum primodia,* —  
sicut in Arateo carmine orsi sumus. Q. Quorsum istuc? M. Quia nunc itidem ab eodem, &

a

a ceteris diis immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia. Q. Optime vero, frater: & fieri sic decet.

- IV. M. Videamus igitur rursus, priusquam ag-  
 8 grediamur ad leges singulas, vim naturamque legis, ne, cum referenda sint ad eam nobis omnia, labamur interdum errore sermonis, ignoremusque vim sermonis ejus, quo jura nobis definienda sint. Q. Sane quidem, hercule: & est ista recta docendi via. M. Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed æternum quidam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam & ultimam, mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis, aut vetantis dei: ex quo illa lex, quam dii humano generi dederunt, recte est laudata. est enim ratio mensque sapientis, ad ju-  
 9 hendum, & ad deterrendum idonea. Q. Aliquoties jam iste locus a te tactus est: sed antequam ad populares leges venias, vim istius cœlestis legis explana, si placet: ne æstus nos consuetudinis absorbeat, & ad sermonis morem usitati trahat. M. A parvis enim, Quinte, didicimus,
- mus,

mus, SI IN JUS VOCAT, atque ejusmodi alias leges nominare. sed vero intelligi sic oportet, & hoc, & alia jussa ac vetita populorum, vim non habere ad recte facta vocandi, & a peccatis avocandi: quæ vis non modo senior est, quam ætas populorum & civitatum, sed æqualis illius cœlum atque terras tuentis & regentis dei. Neque enim esse mens divina sine ratione potest, nec ratio divina non hanc vim in rectis pravisque faciendis habere: nec quia nusquam erat scriptum, ut contra omnes hostium copias in ponte unus assisteret, a tergoque pontem intersecindi juberet, idcirco minus, Coclitem illum rem gessisse tantam, fortitudinis lege atque imperio, putabimus: nec si regnante Tarquinio nulla erat Romæ scripta lex de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam Sex. Tarquinius vim Lucretiæ, Tricipitini filiæ, attulit. erat enim ratio profecta a rerum natura, & ad recte faciendum impellens, & a delicto avocans: quæ non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum, cum orta est. orta autem simul est cum mente divina. quamobrem lex vera atque princeps, apta ad jubendum, & ad vetandum, ratio est recta summi Jovis.

D 4

Q.

V. Q. Assentior, frater, ut, quod est rectum, verum quoque sit, neque cum litteris, quibus  
 II scita scribuntur, aut oriatur, aut occidat. M. Ergo ut illa divina mens, summa lex est; item, cum in homine est, perfecta est in mente sapien-  
 tis. Quæ sunt autem varie, & ad tempus de-  
 scripta populis, favore magis, quam re, legum nomen tenent. omnem enim legem, quæ qui-  
 dem recte lex appellari possit, esse laudabilem, quibusdam talibus argumentis docent. Constat profecto ad salutem civium, civitatumque incolu-  
 mitatem, vitamque hominum quietam & beatam, inventas esse leges: eosque, qui primum ejus-  
 modi scita sanxerint, populis ostendisse, ea se scripturos atque laturus, quibus illi adscitis susce-  
 ptisque, honeste beateque viverent: quæque ita composita sanctaque essent, eas leges videlicet nominarunt. Ex quo intelligi par est, eos, qui perniciofa & injusta populis jussa descripserint, cum contra fecerint, quam polliciti professique sint, quidvis potius tulisse, quam leges: ut perspicuum esse possit, in ipso nomine legis interpretando inesse vim & sententiam justæ & juris legendi. Quæro igitur a te, Quinte, sicut illi  
 12 fo.

solent: Quo si civitas careat, ob eam ipsam causam, quod eo careat, pro nihilo habenda sit, id estne numerandum in bonis? Q. Ac maximis quidem. M. Lege autem carens civitas, ane ob id ipsum habenda nullo loco? Q. Dicit aliter non potest. M. Necessesse est igitur, legem haberi in rebus optimis. Q. Proxus assentior. 13

M. Quid, quod multa perniciose, multa pestifere sciscuntur in populis, quæ non magis legis nomen attingunt, quam si latrones aliqua confessu suo sanxerint? Nam neque medicorum præcepta dici vere possent, si quæ inscii imperitique pro salutari- bus mortifera conscripserint, neque in populo lex, cuicuiusmodi fuerit illa, si perniciosum aliquid populus acceperit. Ergo est lex, justorum in- justorumque distinctio, ad illam antiquissimam, & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ suppli- cio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos.

Q. Præclare intelligo: nec vero jam aliam VI. esse ullam legem puto non modo habendam, sed ne appellandam quidem. M. Igitur tu Titias & Apulejas leges nullas putas? Q. Ego vero ne Li- 14

D 5

vias

vias quidem. M. Et recte, quæ præsertim uno  
versiculo senatus, puncto temporis sublatae sint:  
lex autem illa, cujus vim explicavi, neque tolli,  
neque abrogari potest. Q. Eas tu igitur leges  
rogabis videlicet, quæ numquam abrogentur.  
M. Certe, si modo acceptæ a vobis duobus erunt.  
Sed, ut vir doctissimus fecit Plato, atque idem  
gravissimus philosophorum omnium, qui prin-  
ceps de republica conscripsit, idemque separa-  
tim de legibus ejus, id mihi credo esse facien-  
dum, ut priusquam ipsam legem recitem, de  
ejus legis laude dicam. quod idem & Zaleucum  
& Charondam fecisse video; cum quidem illi  
non studii & delectationis, sed reipublicæ causa  
leges civitatibus suis scripserunt. Quos imita-  
tus Plato, videlicet hoc quoque legis putavit  
esse, persuadere aliquid, non omnia vi ac minis  
15 cogere. Q. Quid, quod Zaleucum istum negat  
ullum fuisse Timæus? M. At Theophrastus au-  
ctor haud deterior, mea quidem sententia; me-  
liorem multi nominant: commemorant vero  
ipsius cives, nostri clientes, Locri. Sed sive  
fuit, sive non fuit, nihil ad rem. loquimur,  
quod traditum est.

Sit

Sit igitur hoc a principio persuasum civi- VII.  
bus, dominos esse omnium rerum ac moderato-  
res deos, eaque, quæ gerantur, eorum geri di-  
tione ac numine, eisdemque optime de genere  
hominum mereri, & qualis quisque sit, quid  
agat, quid in se admittat, qua mente, qua pie-  
tate colat religiones, intueri, piorumque et im-  
picorum habere rationem. His enim rebus im- 16  
butæ mentes, haud sane abhorrebunt ab utili,  
ac vera sententia. Quid est enim verius, quam  
neminem esse oportere tam stulte arrogantem,  
ut in se rationem & mentem putet inesse, in  
cælo mundoque non putet? aut ut ea, quæ vix  
summa ingenii ratione comprehendat, nulla ra-  
tione moveri putet? quem vero astrorum ordi-  
nes, quem dierum noctiumque vicissitudines,  
quem mensium temperatio, quemque ea, quæ  
gignuntur nobis ad fruendum, non gratum esse  
cogant; hunc hominem omnino numerare qui de-  
cet? cumque omnia, quæ rationem habent, præ-  
stent iis, quæ sint rationis expertia, nefasque sit  
dicere, ullam rem præstare naturæ omnium re-  
rum: rationem inesse in ea, confitendum est.  
Utiles esse autem opiniones has, quis neget, cum  
intelligat, quam multa firmentur jurejurando,  
quantæ

quantæ salutis sint fœderum religiones? quam multos divini supplicii metus a scelere revocavit? quamque sancta sit societas civium inter ipsos, diis immortalibus interpositis tum iudicibus, tum testibus?

---

Ad



AD

M. T. CICERONIS

DE LEGIBUS

LIBRUM I.

ET SECUNDI EXORDIUM

ANNOTATIO

CRITICA ET PHILOSOPHICA.

M. T. CICERO  
Aristot. Problem. XXIX. 7.

Δια τι ἀνθρώπος, μαλιστα παιδείας μετεχών,  
ζῶων ἀπάντων ἀδίκωτατον ἐστίν; ἢ ἔτι  
πλεῖστον λογισμὸν κεκοινωνήκε; μαλιστα ἐν τῆς  
ἡδονῆς καὶ τὴν εὐδαιμονίαν ἐζητάκε. ταῦτα  
δ' ἀνευ ἀδίκιας ἔκ ἐστίν.

ΛΟΓΟΤΑΤΟΝ

ΕΡΚΤΙΚΑ ΕΤ ΠΗΛΟΣΟΦΙΚΑ



AD

CIC. LIB. I. DE LEGIBUS

ANNOTATIO.

CAPUT I.

§. 1. *Si manet.* Recte, puto, Davisius legendum censet: *Si enim manet.*

— *Suffragari tibi* cf. Ep. ad Qu. Fr. II. 16. III. 6.

— *Sit ita sane.* Est sermo quicquid dicas concedentis, ne de rebus ad summam rem non pertinentibus lis oriatur, res tamen ipsa eo firmiter teneatur. Perperam igitur Dav. legi vult: *sit ita sane velim. Verumt.*

§. 2. *Latine loquentur litteræ.* Nescio cur Ernestius damnaverit hanc lectionem, dixeritque male illam a Victorio inductam esse, cum tamen vix probari possit, vsui sermonis respondere, ut *latina loqu. litteræ* dicatur absolute, non addito, quid & quomodo loquantur; optime autem se habeat hoc: *latine loqu litt.* i. e. dum latina lingua utentur litteræ, dum auctorum latinorum scripta legentur & intelligentur.

— *Nisi*

— *nisi forte*. Quod Dav. *si forte* legendum putat, id eum in errorem induxit, quod post *monstrant eandem* non sequitur: *ista vero quercus non potest*, aut tale quid. Quod tamen, cum facile intelligatur, commode, imo eleganter omittitur.

— *quod Homerus*, est pro: *ideo, quod vel quod attinet ad id, quod* nec necessaria imo temeraria Dav. mutatio: *quam*.

— *quam Mar quercum* vocent *quercum* tam commode abest, quam adest, nec, hoc an illud malis, quicquam interest.

§. 3. *certain' non longe*. Sic rectissime a Cam. & Dav. lectio constituta est. Certe enim absque interrogativa *ne* in interrogatione indirecta non sufficit. Totum autem vocabulum *certe* ab Ernestio non bene reprobatum esse videtur, cum in eo vis interrogationis nitatur. De Rom. vid. Corn. Nep. Att. XVI. 2. Liv. I. 16. De Orith. Appollodor. lib. III. c. 15. & Heyn. ad h. l.

§. 4. *vel severitas a te postulatur*. Cum *voc. quod* paullo ante positum pendeat, neque verbum, cui commode jungatur, habeat; equidem legendum existimo: *quod & in rec. mem. — verseris, (vel versetur res) vritas (vel severitas) a te postulatur*. Nam conjunctionem *quod* absolute lumere, ut sit pro: *quantum, quod attinet ad* durum est, praesertim in Cicerone. Neque minus durum & a Cicerone alienum foret, ita rem expedire velle, ut post *nonnullis* ex antecedentibus repetas *quaeritur*. Aliam autem vulgatae lectionis explicandae rationem equidem non video. Cæterum

rum

rum ob similitudinem litterarum in vocibus: *versis, vel sever.* facilem oculo manuique errorem fuisse, monere vix opus est.

— *in isto periculo.* Recte monuit Ernesti, male hoc accipi de experimento artis poeticæ, cum in eo non perfectio quidem artis, at veritas tamen requiri possit. Ipse pro *libello* accipit: sed mihi quidem dubium videtur, an loca illa, in quibus ista significatio obtinet, de tabulis magistratum & libellis forensibus, huc pertrahi rite possint, præsertim cum in hisce imprimis veritas regnare debeat. Locus corruptus videtur. Fortasse latet aliqua vox græca, ut *parergon*, quod significat & id, quod obiter, neque ex instituto fit, & in pictura id, quod ornamenti causa additur. (Plin. lib. XXXV. c. 36. 20.) Cicero autem vel totum Marium, qui perfectæ & elaboratæ historiæ (de qua mox sermo est) quasi *parergon* sit; vel, locum illum de quercu & aquilæ augurio *parergon* dicere potuit, cum hoc vellet: in eo, quod ornamenti causa adjectum sit, veritatem, quæ in reliquis locum omnino habeat, non anxie nimis quærendam esse. — An melius sit: *versiculo*? Vtriusque certe vocabuli & litteræ & sonus non ita multum a vulgata lectione recedunt, imprimis si oscitantem librarium cogites, græceque non admodum edoctum.

— *quippe* — *natürlich* — *quæque & pleraque* de industria opponuntur.

## CAPUT II.

§. 6. *Annales pontificum* cf. de Or. II. 12.

E

— *qui-*

— *quibus nihil potest esse jejunius.* Vulgata lectio est: *jucundius*, quæ, cum reliquis Ciceronis aliorumque de hoc scripturæ genere judiciis repugnet, si tamen defendi debeat, certe non nisi ironice cogitari possit, addito fortasse; *scilicet*: Sed corrupta videtur & una harum emendationum præferenda: *injucundius*, *juncidius*, *jejunius*, quarum posterior mihi quidem arridet, ideoque recepi.

§. 7. *ex librariolis latinis.* Equidem malim derivare a Nom. librariola, ut intelligatur *taberna*, quam a *librariolus*, quod fecit Ernesti. Inprimis me movet præpositio *ex*, pro qua *a* ponendum erat, si de hominibus sermo esse debebat. Alia ratio est in Orat. p. Balbo c. 6.

— *et ineptus ad summam impud.* Fortasse in antiqua lect. *datio*, *elatio*, lateat voc *adeo*, ut vera lectio sit: *ineptus adeo ad s. i.* Tamen Manutii Conj. *in mendacio s. impudentia* contemnenda non videtur.

### CAPUT III.

§. 8. *occupata opera.* Perperam hanc lectionem laceffit Dav. *Opera* enim latine significat totum virium nostrarum complexum, quas negotiis dare & impendere possumus. Ex ista notione omnes formulæ, in quibus ista vox occurrit, explicari possunt, nostra etiam: cum vires meæ aliis rebus perficiendis occupatæ sint. Lectio Davis. *occupato* Cicerone indignissima est.

CA-

## CAPUT IV.

§. 11. *Numeros in c. remisera*. Notabile librar. sphalma in hoc voc. pro quo vulgo est: *cecinerat*, quod aperte falsum, etsi in eo omnes libri consentiant; cui tamen vix aliud probabilius substituas, quam *remisera*.

§. 12. *M. Id, siquidem, Quinte. Id h. l.* otiosum & a Ciceronis latinitate alienum puto.

— *dicendi cogitationem.* In cl. Ern. hic locus omissus est

§. 14. *Et hac quidem adire. Adire* ortum esse videtur ex sequ. *ordire*, atque omnino delendum.

— *Ego memini.* Recte revocavit Ern. hanc lect. nam altera: *egone?* locum ideo non habet, quia Cic. jam ante susceperat, quod rogatus fuerat, ideoque nil erat, quod eum moveret ita, ut quasi mirabundus & perturbatus *egone*, diceret, *de jure civili dicam?* Fortasse tamen non incommodum esset legere: *Ego vero memini.* Alia est ratio formulæ: *egone?* de Leg. II. 13.

— *Id autem incognitum.* Mire arridet Ernestianum: *illud*, pro *id* & Dav. conjectura *reconditum* pro: *incogn.*

— *de parietum jure.* Mirum sane est, in voce tam vulgari *parietum* ita aberrare potuisse librariorum vel aures, vel oculos vel manus, ut *porientium* alii, alii *ponentium* scriberent, nullo plane sensu; notatione tamen ad alia loca emendanda non inutili.

## CAPUT V.

§. 15. *Crete c. Clin. Lib. I. de legg. Ed. bip. Tom. VIII. p. 5.*

§. 16. *Ista audire cupio. Ista perperam non necessarium* iudicat Dav.

— *magis honeste.* Posteriores vocem Dav. & Ern. recte reprobarunt; sed alter substituit: *potest*, alter: *posse*, quorum neutrum Cic. dignum videtur. Quid si legas simpliciter: *hoc vel hocce?* (casu quarto) *vel hoc quidem*, qua voce Cicero sæpius utitur ad animum iis, quæ sequantur, acrius intendendum, e. g. de Fin. III. 3. sub fin. nam si *hoc* non obtineatur, id &c.

§. 17. *Nunc ab uno summa auget.* Is est Servius Sulpicius, de quo vid. Brut. 41. 42.

— *angustum locum naturæ.* Recte, puto, Ern. defendit ultimam vocem, quam Dav. exulare iusserat. Naturæ enim lex, brevis & una, fons est vel esse debet earum, quæ a civitatibus vel regibus promulgantur. Istæ autem multiplices sunt & contrariæ sæpe inter se, ut, quid velint, quid spectent, quo fundamento nitantur, vix assequaris.

#### CAPUT VI.

§. 18. *Lex est ratio summa insita in nat.*

— *eadem ratio, cum est in mente hom. conf.*

¶ *conf. lex est — arbitrantur prudentiam esse legem.* Ratio, recta ratio, ὁρθὸς λόγος apud antiquos cum de ea mentis parte adhibetur, qua, quid verum sit, iudicamus, tum de ea, qua, quid rectum, decens, pulchrum, honestum sit, decernimus, (*praktische Vernunft.*) Quarum altera ab altera cum non vi & natura, sed cogitatione tantum & efficacia differat, eodem merito nomine appellantur. Diogenes Laertius lib. VII. segm. 54. antiquiores quosdam Stoicorum



τον ὀρθον λογον criterium veritatis constituisse nar-  
 rat. Eadem hujus vocabuli vis est ap. Plat. in  
 Gorgia pag. 63. (ed. bipont,) γενναίως τῷ λογῷ  
 παρεχων, & pag. 124. κατα τον δικαιον λογον,  
 cui fere synonymum est δοξα ὀρθη in Philebo  
 pag. 209. Huic proxima est altera illius vocabuli  
 significatio, qua ad vitæ actionem morumque mo-  
 deramen pertrahitur. Veritatis enim cognitio  
 tantum non vana, imo gaudiorum perturbatrix &  
 sollicitudinum fons homini foret, (quod multi  
 etiam, suæ libidini potius & animi levitati, quam  
 temperantiæ præceptis obsecuturi, queruntur, ra-  
 tionem nihil nisi cruciatui esse datam hominibus)  
 nisi ad vitam recte & honeste instituendam admo-  
 veretur. Neque vero alium in finem data est in-  
 primis homini veritatis cognoscendæ facultas, nisi  
 ut ipse suo arbitrio & libere, tamen ad veritatis  
 legem, vitam moresque gubernaret. Reliqua enim  
 animalia propterea, quod veritatis cognitione ca-  
 rent, carent etiam libertate animi, adeoque virtute.  
 Norma igitur actionum nostrarum, vel lex, apud  
 eos, quos in hac caussa sequitur Cicero, philoso-  
 phos est eadem, quæ veritatis iudex est, λογος ὀρ-  
 θος, ratio recta. Diog. L. VII. 93. ἐγκρατειαν  
 dicit ex mente Stoicorum fuisse διαθεσιν ἀνυπερ-  
 βατον των κατ' ὀρθον λογον, quem igitur fere om-  
 nis virtutis fontem dicere possis. Eod. lib. sect.  
 128. το δικαιον, νομος & ὀρθος λογος ut synony-  
 ma fere conjunguntur. sect. 88. ὁ νομος ὁ κοινος  
 explicatur per ὀρθον λογον δια παντων ἐρχομενον.  
 Plato de legg. I. p. 45. λογισμον fundamentum le-  
 gis constituit, quod clarius & expressius fit in

Minoë. Ipse Cicero Tusc. V. 13, absolutam rationem & virtutem pro iisdem habet.

Cave autem putes, hæc, quæ posuit Cicero, esse tautologica & quasi ex dubitatione hæsitantis, quamnam legis definitionem sit amplexurus, profecta. Tale vero quis a Cicerone expectet? quis porro legere cupiat eum, qui in definitione ipsa ejus, de quo dicturus sit, vacillet? Res autem sic se habet: Prior definitio ad remotissimum legum fontem, naturam scil. universam redit, per quam totam regnat vna eademque ratio, quam Deum, *νουν, λογον, (εις ὅπαν τῆ κοσμου μέρος διηκοντος τῆ γῆ, Diog L VII 138)* ignem etiam sempiternum dicunt Stoici & Platonici, ex quorum mente etiam Cicero absolutam rationem mundo tribuit Tusc. V. 13. Nat. D. II. 13. vid. Stob. Ecl. I. 3, 28. Licet autem ista definitio reprehendenda omnino non sit, quippe verum est. hominem, partem certe mundi universi haud exiguam, id inprimis spectare debere, ut cum totius mundi perfectione ipse consentiat, (quod volebat Diogenes, *μονην την ὀρθην πολιτειαν εἶναι την ἐν κοσμῳ* dicens ap. Laertium VI 72.) & qui universæ naturæ propositus sit finis, eum assequatur: tamen, cum, quisnam sit iste finis toti naturæ propositus, nemo mortalium ex ipsa accuratiori universi, quantus est, mundi contemplatione penitus perspicere valeat; certe parum & lucis & utilitatis nobis adferret ista definitio, nisi eadem ad hominem propius admoveretur & in ejus ratione ac mente, quæ divinæ particula auræ dicitur, sed confirmata & cultu quodam subacta, vis legis reperiretur. Ratio autem in homine

mine

mine perfecta est *prudencia*, vnde tertia oritur definitio, quæ nulla alia a secunda est; sed consuetioribus utitur vocabulis. *Prudencia*, *Φρονσις*, scilicet eandem h. l. vim habet, quam in libro de Off. I. c. 5. 6. De Nat. D. II. 7. de leg. I. §. 60. nempe cultum quendam ingenii significat, non quidem eum, qui ex litterarum studio diligenti profiscitur & quodam quasi lumine totam vitam colustrat, (germ. *Auffklärung*) a quo si ducendum esset legis adeoque virtutis exordium, male profecto generi humano consultam foret: sed est alius quidam ingenii cultus, interna mentis vi ejusque quasi divina indole, sua sponte, nullo litterarum & institutionis exquisitæ adiumento, enatus, cuius ætati, modo infantiam primamque pueritiam excipias, communis; cujus prima germina diligenter observare non ejus solum est, cui puerorum institutio vel hominum ad religionem eruditio demandata est, sed omnium, qui suæ i. e. humanæ naturæ dignitatem & præstantiam nosse volunt. Jam igitur eo rem adduxit Cicero, ut ne quis dicere possit: vbinam eam legem inveniemus? cum in animis ipsi nostris reconditam eam habeamus ac repositam, vnde depromi facile possit, modo animi conscientiam diligenter excutiamus. Eadem fere est sententia Mosis Deuteron. XXX. 12. coll. Luc. XVII. 21. & Platonis Alcib. I. cap. 58. 60. ed. Biester. cf. Cic. de leg. I. c. 23. II. 4.

Cæterum male vertit Heinzius: Die höchste in der Natur gegründete Ursache — wenn eben diese Ursache von der Seele des Menschen erkannt und genehmigt ist — daher schließen sie, die Klug-

heit sey das Gesetz, welches gebietet, gerade zu handeln, und Abweichungen untersagt. — Equidem sic verterim: die höchste Vernunft, die in dem Wesen der ganzen Natur liegt — wenn diese Vernunft in dem Geiste des Menschen ausgebildet und befestigt ist — daher bestimmt man es so, daß richtige Einsicht das Gesetz sey, welches dahin zielt, richtige Handlungsweise zu gebieten &c. Phrasis illa: gerade handeln arctiori quodam significato utitur de iis fere adhibita, qui simpliciter atque aperte agunt, omni arte, nedum dolo & fraude, remota: itaque h. l. commoda non videtur. Si quis autem porro quærat: cur Cicero non explicuerit, quid sit *recte facere*, & an recte id omiserit, ei vix habeam, quod ad excusandum Cicero- nem respondeam. Mihi tamen *recte facere* nihil aliud esse videtur, nisi *ex veritatis persuasione agere*.

§. 19. *dilectus vim*. Vereor, ut Cic. recte expediverit vim etymi vocis *lex*. Videtur potius ad eam vocabuli *legere* significationem referendum, qua *vinciendi* notionem adjunctam habet, unde etiam *ligare* est & *religio*. Græci autem cum vocab. *νομος* a *νεμειν* deducant, in quo inest vis latior ordinandi, rite disponendi, (neque vero solius æquitatis distributivæ, qua notione nimis arcte constringi & nimis angustis finibus coerceri videtur istud vocabulum) propius accedunt ad Latinorum etymon. Nam & in *ligando* & in *ordinando* inest id, ut ne temere & coeco impetu, sed certis rationibus ductus ad agendum accedat, qui *legem* sequatur.

— Quod

— *Quod si ita recte dicitur.* Hoc non ad proximam disquisitionem etymologicam, sed ad definitiones legis paullo ante propositas, referri debet.

— *plerumque vid. sol.* En Academicum!

— *populariter interdum loqui.* Sermo scilicet vulgi ordinem rerum pervertit, eamque demum legem dicit, quæ scripto fancit, quod vult, ac inde vel justum vel injustum fieri censet, quod lege promulgatum sit, cum tamen ea sit vnica & vera lex, arbitra iusti & æqui, ad quam quasi normam ciuitatum instituta exploranda sint, & probanda, quo facto demum leges veri nominis habendæ sint.

§. 20. *Serendi etiam mores,* qui scilicet legibus ex humano arbitrio vel imperandi cupiditate prognatis non finguntur, sed domantur fortasse, coercentur; maximam tamen partem pervertuntur, corrumpuntur: at quæ ad animi humani indolem illam vere divinam accommodatæ, aut ex ista potius depromptæ sunt, mirum quam suaviter in intima se præcordia insinuant, &, quam semel occupaverint, mentem constanter tenent.

— *ad rationem instituti sermonis sapientius.* Equidem prorsus non capio, quidnam Cicerone indignum in vocab. *sapientius* viderint Lambinus & al. vt *aptius* in ejus locum substituerent.

## CAPUT VII.

§. 21. *Deorum immortalium vi, natura,*  
 Non dubium mihi quidem est, quin legi debeat  
 ex Dav. maxime conjectura: *Deor. imm. vi, cura,*  
*ratione:* non enim probabile est, Ciceronem voca-  
 buli *cura*, quo sæpius tali in re utitur, hoc loco  
 oblitum esse.

§. 22. *Est igitur, quoniam nihil est ratione*  
*melius, eaque cet.* Mirum profecto videtur, nec  
 longe abesse ab eo, quem circulum sive orbem  
 dicunt in argumentando, quod cum Cicero jam  
 declarare velit, quænam sit summa ratio, quod  
 idem primum legis fundamentum, ad Deos eorum-  
 que cum hominibus societatem recurrat: cum ta-  
 men nosmet de divina natura nihil sciamus, nisi  
 quod ex nobis ipsis hauserimus, & ex intimo quasi  
 nostræ mentis adyto depromserimus. Quamcun-  
 que enim notionis de Deo originem statuas, summa  
 tamen res eo redit, ut ex animi nostri sensu eam  
 expresserimus, & quam in reliquis rebus, vel ani-  
 matis vel inanimatis, vel in universo etiam mundo,  
 vim vitalem, vel sapientiæ & consilii speciem, de-  
 prehensisse videbamus, eam ex nostræ naturæ  
 similitudine interpretaremur, mentisque nostræ  
 vim admirabilem ad illos transferremus, quos ita  
 rerum auctores & gubernatores putaremus, ut ani-  
 mum nostrum corporis motus regere sentimus.  
 Quodsi igitur ad eam ipsam naturam, quam ad  
 tuæ mentis similitudinem effinxeris, tanquam ad  
 fontem recurras, atque ex eo rursus mentis vim  
 deducas & similitudinem istius cum illa, quam di-  
 cere

cere

cere libuit divinam, prædices, id certe, si quid  
 aliud, est ad eadem principia recurrere, atque ar-  
 gumentando in orbem circumverti. Sed non  
 omni tamen veritate, vel certe excufatione, desti-  
 tuta est ista ratio. Necessario enim quodam,  
 vel certe naturali, instinctu ductus homo rerum  
 terrestrium & coelestium contemplatione atque ad-  
 miratione abreptus causam earum humanis viribus  
 majorem atque augustiorem mente & cogitatione  
 concipit, Deosque putat auctores & rectores totius  
 mundi, in eosque omnia, quæ ubique occurrant,  
 magna & præclara confert, (cf. Cic. de Nat. Deor.  
 II. 7. 31.) ab iisdemque, vice versa, cum rerum  
 plurimarum effectio humanis viribus major sit, ea-  
 rum originem deducit; inprimis vero, quæ alicubi  
 reperiantur, bona & humano generi utilia, ab iis  
 repetit. Quid mirum igitur, si Philosophi etiam  
 præclaram illam mentis humanæ facultatem, in  
 qua justis injustisque, rectis pravisque notio & sensus  
 inest, explicare vitæque humanæ commendare cum  
 vellent, ad Deum etiam & augustioris numinis vim  
 majestatemque recurrerent. Nam ea quidem est  
 humanæ mentis natura, eaque ejus unica præstan-  
 tia, ut, quid pulchrum, quid turpe; quid justum,  
 quid injustum sit, probe sentiat, easque res ab eo,  
 quod jucundum, vel utile habeatur, non obscure,  
 arcano quodam quasi instinctu, dignoscat. Sed  
 homo, sive suæ conscientiæ nimium diffusus; sive  
 rerum plurimarum & maximarum causas ita extra  
 se ipsum anquirere adsvetus, ut magnificam illam  
 virtutis legem in se solo invenire non auderet;  
 sive vitæ necessitatibus, vel curarum etiam libidi-  
 num-

numque vanitate, quo minus suam ipse intelligen-  
tiam penitus excuteret, impeditus & distractus, eo  
delapsus est, vt, sicut in civitate & republica, ita  
in totius vitæ institutione & regula, nil nisi vel  
aliis parendi obsequium, vel imperandi arbitrium  
agnosceret. Igitur, unico veritatis & virtutis  
principio, quod in intima humanæ mentis natura  
positum quasi æterna basi nititur, derelicto aut  
certe neglecto, aliud quærere opus putaverant phi-  
losophi & legislatores, Deosque, quorum vis &  
numen communi opinione satis firmata erant, ad-  
vocaverunt, vt eorum auctoritate & suffragio legem  
fancirent; quæ, nisi inertia & socordia hominum  
eam oppressam tenerent, sua vi & virtute propria  
pollere debebat. Hoc tamen sic intelligi equidem  
nolim, ac si veteres illi philosophi, Cicero inpri-  
mis &, quos sequitur, Stoici & Plato, Deos ex im-  
perio agere &, quid justum, quid non; quid ho-  
nestum, quid turpe habendum sit, quasi edicto  
pronuntiare statuissent. Is sane feriorum tempo-  
rum, quin etiam multorum, qui sapientes inpri-  
mis haberi volebant, error fuit, sed qui omnem  
virtutis vim infringat, dignitatem contaminet.  
Imo græci Philosophi, Socratici inprimis & Stoici,  
diligentes humanæ naturæ spectatores, Deos non  
auctores & creatores rationis & legis censebant  
(neque enim animum ipsum, in quo est ratio, crea-  
tum & effectum putabant) sed ipsos ejusdem con-  
sortes & participes ita, vt in iis summæ rationis  
fons haberetur & perfectissimum exemplar. Cum  
autem ex omnibus animantibus in homine solo  
mens & ratio deprehenderetur, eaque in tota re-  
rum

rum



rum natura nihil præstantius reperiretur ac divinius, inde factum est, vt ejusdem homines & Deos civitatis esse, iisdem imperiis, legi sc. æternæ sive rationi parere dicerent, quæ nullius arbitrio subiecta, nullius jussu constituta sit, sed sua natura & vi stabilis, firma, æterna, Diis hominibusque agendi norma habeatur.

§. 23. *Inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta rat. c. e.* Hujus argumenti vis in eo nititur, quod rationis id proprium est, vt excoli possit & ulterius semper procedere: quod longe aliter est in eo, quem instinctum vocamus in bestiis, quæ, cum infinita illa, qua soli homines præstant, progrediendi facultate, careant, ratione carere dicuntur, quæ eandem ob causam non gradu, sed ipso genere differt a cæco reliquorum animantium instinctu. Recte igitur ab usu rationis ad *rectæ rat. usum* valet conclusio.

— *lege quoque consociati.* Legitur etiam: *conciliati.* Vtraque lectio bona, neque altera alteri temere præferenda.

— *inter eos communia.* Voculæ *inter eos* vel ejiciendæ, vel *se pro eos* legendum videtur.

— *Si vero iisdem imperiis &c.* Hanc lectionem a Dav. erutam vnice probandam puto. Vulgata: *si vero iis d. imp. & potest. parent, multo etiam magis parent huic cet.* ea est, quam Ernestium non taxasse & notasse valde mirer. Hæret enim hiulca argumentatio, neque antecedens: *si vero — parent,* habet quo nitatur, quo referatur. Quænam enim sint imperia & potestates communes, ex quarum consortio concludi debeat, Deos hominesque multo magis parere huic cœlesti descriptioni?  
ni?

ni? Ea autem, quam Davifio duce recepi, lectione probata optime procedit argumentatio. Duabus enim rebus continetur civitas: legibus & magistratibus: Legum jurisque communionem inter Deos esse atque homines paullo ante dictum est. Jam vt & communium magistratum eoque arctiori civitatis vinculo eos teneri commonstret, sic ratiocinationem instituit: „Si vero iisdem imperiis & potestatibus parent, multo etiam magis ejusdem civitatis habendi sunt: parent autem huic cœlesti descriptioni, mentique divinæ & præpotenti Deo, qui per universum mundum regnat, ideoque communis omnibus est magistratus: ergo in duabus rebus, in quibus summa conjunctionis civium est, par est hominum Deorumque conditio: vnde sequitur, vt jam vniuersus &c.“ Quod autem cœlestem descriptionem, mentem divinam, præpotentem Deum pro iisdem habet, id plane fit, vt omnia, ex mente Stoicorum: vid. Diog. Laert. lib. VII. 135 — 148. ἐν τε εἶναι Θεον, καὶ νοῦν, καὶ εἰμαρμένην καὶ Δία. Cic. Nat. Deor. II. 11. neque hoc, quod Dii ipsi divinæ menti parere dicuntur, (nec minus Deus ipse summus, quam qui Dii dicuntur,) vt magistratui paretur a civibus, a doctrina Stoicorum & rel. veterum philosophorum abest. Seneca de Prov. c. 5. ille ipse, inquit, omnium conditor & rector scripsit quidem fata, sed sequitur: semper paret, semel iussit Plut. Phoc. init. τον κοσμον θεος λεγεται διοικειν, ε̅ βιαζομενος, ἀλλὰ πειθοι καὶ λογῶ παραγων την ἀναγκην. Deus summus, in quo est ratio & mens totum mundum gubernans, per totam naturam pertinet, eique  
omnia

omnia subjecta sunt; reliqui vero Dii, partes ejus, ejus nutum audiunt. Diog. L. I. c. 147. Senec. Benef. IV. 7. Aristot. de mundo c. 6. 7. Stob. Ecl. I. c. III. 38. Mundum vero unam ex Diis hominibusque compositam civitatem dicebant Stoici: Diog. L. 138. Cic. Nat. D. II. 31. 62.

Cæterum ex iis, quæ ad h. I. notata sunt, lucem fortasse accipiat locus in Cic. paullo obscurior. Nat. D. II. 30. *Omnes res subjectas esse naturæ sentienti, ab eaque omnia pulcherrime geri. quo constituto sequitur, ab animantibus principiis eas esse generatas.* Primo quidem adspectu id, quod Cic. ex alio sequi dicit, nihil aliud ab eo esse videtur, unde illud sequatur. Sed natura sentiens, opinor, nulla alia est, nisi descriptio illa cœlestis, *διακοσμησις τῶν ἀστροῶν*, quem mundum, (mundum autem Dei substantiam, *θεῖαν*,) dicebant Stoici (Diog. I. c. 138. 148.) imo ipsum Deum, (I. c. 137.) qui descriptionis illius artifex sit, in se ipsum omnia corripit, ex seque ipso denuo progeneret. Huic igitur subjecti sunt reliqui Dii s. animantia principia, quæ in stellis deprehenduntur, quarum conveniens cum universo & constans conversio ex mente Stoicorum declarat, iis ipsis propriam vim & mentem divinam inesse, qua regantur, vel ipsæ potius se regant, rationem subducente Cic. de N. D. II. 21. Præpositio autem *ab* h. I. non videtur exprimere causam efficientem s. auctorem, sed causam materialem s. elementa, unde ortum duxerunt res suo motu gaudentes. Non enim videntur veteres ea, quæ vitæ atque agendi in se continerent impetum, inter creata retulisse,

tulisse, sed æternam iis & propriam vim tribuisse. Omnes igitur res subjectæ sunt Deo supremo, qui omnia gubernat; ipsæ autem ita parent, vt chorus magistro, vt ille concentus totius universi suum etiam opus putandum sit, & sua sponte ipsæ cum toto mundo congruant; unde sequitur, eas non ex rudi materia atque inertī mole, sed ab animantibus principiis ortum suum duxisse.

— *universus hic mundus una civitas — existimanda.* Nescio quid soloeci suboluerit in h. l. Davisio, nisi & de Divin. II. 43. non enim omnis error stultitia dicenda est, & plures alii loci, vbi *verbum* non subjecto sed *objecto* proprio accommodatur, inter soloecismos referendi sunt. Cæterum sine dubio addendum erat: *fit.*

— *¶ quod in civitatibus, cet.* Non cohære h. l. orationem putat Ern. vitiosamque censet. At quid impedit, quominus partic. *¶* h. l. continuare orationem jubeamus, quem in vsum sæpius adhibetur, præsertim cum res cum aliquo adfectu pronuncianda sit. — Sensus autem hujus loci is est: „Sed præterea, quæ de civitatis communi-  
„dicta sunt, quod ad eam rationem attinet, qua in  
„civitatibus familiæ ejusdem gentis non ejusdem  
„omnes sunt dignitatis, sed patriciæ a plebejis di-  
„stinguuntur; id in rerum natura tanto est magni-  
„ficentius, cum ea sit universi mundi conditio, vt  
„homines & Dii non gente solum, sed agnatione,  
„adeoque familia, conjuncti sint, & propiori cog-  
„natione teneantur, quam ipsi plebeji & patricii  
„ejusdem quidem gentis, sed non ejusdem fami-  
„liæ.“ Cæterum recte hæret Dav. in voc. *agna-*  
*tiq-*

*tionibus*: non enim, inquit, agnationibus familiæ distingui possunt, cum agnatio inter homines ejusdem familiæ sit. Igitur non magis apte dicitur: agnatione familias distingui, quam si dicas: similitudine res distingui. Aliud certe vocabulum latet, quod qui ita divinaverit, ut probari debeat, erit mihi magnus Apollo. Mea quidem sententia hanc vocem, & hæc: *ratione quadam — loco*, quæ sane glossatoris manum redolent, exfulare, melius esset. Satis enim nota erat familiarum ratio iis, quibuscum sermonem habebat Cic., neque iis ulterior explicatio promittenda. Forte etiam pro *agnationibus — ac nationibus* legi non ineptum foret.

## CAPUT VIII.

§. 24. *Et nimirum ita sunt, ut disputantur.* Nonne miraris Ciceronem ita loquentem, ac si hominem audias, suæ ipsius persuasioni audacter confidentem, quod sane a Cicerone alienissimum est. Quidni igitur totum hoc glossæ crimine suspectum damnemus, vel certe legamus: „*disputari solent nimirum ista: perpetuis*“ cet. reliquis, quæ prorsus tolerabilia non sunt, plane omisiss. Huic sententiæ nec editionum, nec virorum Doctorum auctoritas deest. Mihi tamen eo magis inclinatur opinio, ut & has voces: *nimirum ista s. ita* pro glossa habeam ejus, cui oratio nuda nimis & abrupta videretur; forte etiam quia vim vocabuli *disputare* non teneret: hæc autem voces ad marginem positæ occasionem dederunt alterius panni adsuendi: sunt, ut disput.

— *perp. cursibus & conv.* Conj. & interponere necessarium putavi.

F

— Ma-

— *Maturitatem.* Notabile est, omnium fere antiquorum philosophemata eo redire, ut hominem ultimum rerum ex terra s. luto creatum vel enatum, spiritu autem divino animatum, crediderint. Quis non, præter Mosen, Ovidii recorde- tur Metam. I. 76. sqq. & Lucret. V. 803.

— *quibus cohærent* i. e. quibus id sunt, quod natura esse eos voluit, & totum aliquid in se absolutum efficiunt. Sic *cohærendi natura* de Nat. Deor. II. 32. — Ad h. l. cf. de Nat. Deor. II. 31.

— *ex quo vere vel agnatio nobis — vel genus vel stirps appellari potest.* Ista locutio habet aliquid quod displiceat, idque in vocc. inprimis *nobis* & *appellari* latet. Sed expediendi certam viam equidem non video. Nisi audaciæ crimen vererer, legendum proponerem: *ex quo vere agnatio n. c. c. est*, reliqua: *vel genus — potest* glossatori redderem, a quo profecta videntur. Davisii conjectura *adrogari pro: appellari* legentis neque ad latinitatem neque ad sensum probari potest.

— *nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera.* Davisius: inter se non opponuntur, inquit, *immansuetum* & *ferum*, sed idem prorsus denotant. Igitur legendum censet: *tam mansueta* & ad Lactantii etiam auctoritatem provocat lib. III. cap. X. 7. Sed opus non est h. l. oppositionem quæri membrorum; & est gradatio quædam, ubi fortius: *ferum* excipit mollius vocab. *immansuetum*: neque commode, puto, dici potest; *nulla gens est tam mansueta, quæ non Deum habendum sciat*, cum profecto nemo miretur, si  
gentes

gentes mansuetiores & humanitatis cultu subactæ Deum cognoscant, neque id unquam in dubium venerit. Alia ratio est, cum simpliciter Græci & Barbari commemorantur, quibus nominibus omnes terrarum orbis populos comprehendi solenne est. — Ad Lactantii auctoritatem quod attinet, ea tanti non est; atque ipse Dav. eam paullo post in voc. *habere* deserit, pro quo ille *haberi* legebat.

Cæterum ista argumentatio, qua ex consensu gentium, Deum esse, deducitur, cui a veteribus multum tribuebatur, a recentioribus omnis vis derogata est, tamen contemnenda non videtur. Scilicet non in eo momentum ejus ponendum est, ut quidquid per omnes gentes ac populos pro vero habeatur, id re ipsa verum haberi debeat: id enim jam satis refutatum est vel uno de colorum natura exemplo ab Ernestio in cap. Theol. nat. I. §. 23. citato & exposito; verum sic instituenda est ratio cinatio: „Quidquid ejusmodi est, ut vel in eo omnes gentes consentiant, vel quivis, qui modo non libidine aliqua aut opinionis errore occupatus sit, id probabile atque ad sensum dignum habeat: id tamdiu pro vero habendum & adsumendum est, donec contrarium perspicue ostendatur.“ Non enim absque interna veritatis vi tantam in mentem hominis potestatem habere credendum est; nec vana species diu aut perpetuo ingenia, quæ semper in cogitando atque in rerum natura investiganda versentur, fallere potest, quin deprehendatur atque arguatur. Ea fuit fortuna tot errorum, qui olim totum genus humanum obsederant: de solis astrorumque natura & motu, de nubibus, de terræ figura & sexcentis aliis;

aliis; quos longa dies & hominum sollertia in lucem produxit & veritatis vi prostravit. Idem accidit falsæ de coloris natura opinioni, quæ melioribus in re physica rationibus locum concessit. At nemo unquam, licet multi nimis studiose id egerint, effecit, ut, Deum non esse, argumentis sat idoneis pervinceret. Quidquid in hac re effecerunt adversarii, hoc fore est, ut falsa ad opinionem de Deo stabiliendam proposita argumenta convellerent, ridicula quædam admiscerent, & tum se omnem de Deo persuasionem ex hominum animis exturbasse jactarent; at nemini sano & vere docto causam suam probarunt. Quid igitur magis consentaneum, quam hoc: Fidem & persuasionem de Deo, quæ, falsis, licet opinionibus, indignis quoque & ridiculis erroribus, subinde admixtis, per omnes tamen gentes ita pervulgata sit, ut universalis merito habeatur; quæque tam facili commendatione in hominum incultissimorum & barbarorum mentes se insinuet; propriam esse menti humanæ atque ita indoli ejus accommodatam, ut insita quidem a natura & connata menti humanæ ad justam veritatis trutinam dici non debeat; at e sensu tamen quodam interno, a sensibilibus & in rerum natura obviis causis vix satis commode & perspicue derivando, enata & profecta statui possit. Quodsi ita concipiatur Epicuri *προληψις*, sive anticipatio quædam Deorum sine doctrina, de qua Cic. Nat. D. I. 16. differit, facile puto, intelligetur, ea, quæ ejusdem libri cap. 22. Cotta contra dicat, non satis valere ad argumentum infringendum viri acutissimi, cujus

in



in plurimis errorum fons uberrimus exinde scatet, quod, cum reliqui illius ætatis philosophi tantum non omnes, severitate quadam vitæ & sermonis conspicui, gloriam ex abstrusioribus disputationibus, & ex sapientiæ specie auctoritatem — quærent magis, quam vitæ humanæ consulere; ipse de industria sensum communem unice sequi & hilariore vultu sapientiam producere vellet; at eum sensum communem plerumque sequeretur, qui non honorifico nomine toti generi humano, sed inertis tantum atque imperitæ plebeculæ communis, atque adeo vulgatis vero nomine, omni doctiori studio & examine neglecto, appellandus esset. Hujus rei plura quidem exempla sunt in physicis; at nec in reliquis philosophiæ ejus partibus desunt.

§. 25. *quasi recordetur ac noscat.* Posteriores duas voces abjecit Dav. codicum erroribus & Lactantii auctoritate inductus, atque ex præcedenti *agnoscat* ortas esse autumat. Quodsi defendi debeant, tenenda est illa voc. *noscere* significatio, qua *discere* sive *cognoscendi studium* & *conatum* exprimit. Cæterum: *ut is agn. D. qui qu. record.* eleganter dictum videtur pro: *ut ideo homo agnoscat Deum, quia, unde ortus sit, quasi recordetur ac noscat.*

— *neque ullo alio in genere.* Recepi, cum Dav. *in genere*, qua conjectura nihil verius videtur pro vulgato: *ingenio.*

— *Virtus enim nihil aliud est cet.* Hanc definitionem virtutis, si cum definitione legis ante proposita conferas, eandem prorsus, iisdemque verbis expressam reperies. Mirum id videatur ne-

cesse est ei, qui virtutem definiat habitum legi  
 obediendi, legem autem non nisi præceptum agendi  
 putet a domino vel imperante quodam promulga-  
 tum. Eï scilicet lex est formula quædam & nor-  
 ma agendi, vel ex arbitrio hominum, vel fortuito  
 aliquo rerum eventu procreata & sancita; virtus  
 autem in studio speciei cujusdam externæ cernitur  
 atque in vitæ ratione a poenis earumque metu li-  
 beratæ. Istam vero virtutem, istam legem nemo  
 profecto, nisi qui vel ad voluptatem abjectus, vel  
 ad libidinem ac temeritatem profusus in diem tan-  
 tum vivat, alicujus pretii habere poterit. Qui  
 autem, vt Cicero cum Stoicis, humana quidem  
 natura & præstantia dignius, virtutem definiat na-  
 turam in se perfectam & ad summum perductam,  
 quamnam is aliam legem, nisi hanc ipsam, tan-  
 quam imaginem omnibus numeris absolutam, ante  
 oculos ponat, quam, tanquam exemplar unicum,  
 intueatur & in omnibus cogitatis & dictis & factis  
 sequatur: plane vt artifex in quavis arte egregius  
 & suus, ideam mente conceptam unice intuetur,  
 formularum & regularum tricas non moratur. Ea-  
 dem est Platonis sententia in Alcib. I. c. 58. 60.  
 ed. Biester. vbi Alcibiadem Socrates Deum in se  
 & *Ἐσθλοῦ* intueri jubet, quæ nulla alia est, nisi  
 recta ratio Stoicorum, recta imperans vetansque  
 contraria (vid. not. ad cap. VI.) Tiedemannus  
 quidem hoc loco reprehendit Platonem, „quod  
 „cognita ea animæ parte, cui insit sapientia, i. e.  
 „mente ac intellectu, adepturos nos nostri cog-  
 „nitionem existimet, cum præter mentem insint  
 „alia nobis multa ex ejus operibus ac natura mini-  
 „me

„me pendentia.“ Intelligit sine dubio T. varias animorum perturbationes ac propensiones, voluptatum illecebras, irarum impetus, vanum gloriæ studium, immaturam aliis imperandi libidinem, & quæ sunt aliæ ejus generis pravæ cupiditates. Quibus quidem obnoxium te esse vt cognoscas haud exigui est momenti: at quam multi sunt voluptati atque intemperantiæ deservientes, iræ impotentes, suæ tantum libidini obtemperantes, qui his se vitiis teneri fatentur & præ se ferunt: sed tantum abest, vt ideo iis corrigendis & amolendis operam dent, vt potius, hoc suæ naturæ esse atque indolis, cuius ipsi auctores non sint, palam pronuncient; se in evellendis iis, quæ natura ingenuerit, operam perdituros negent, atque, vt alii eos, qualescunque sint, æquo animo ferant, jure quasi suo postulent; parem gratiam & veniam vicissim se daturus pollicentes. Quid igitur proderit vitiorum suorum cognitio, si non emendandi modus, sed excusandi argutiæ ex ea petantur. Recta vero ratio diligenter culta & sancte habita non vnicam modo & certissimam, seipsum & sua vitia noscendi, viam demonstrat, sed veram etiam & solam iis medicinam offert, sui reverentiam. Quamobrem Socrates ap. Platonem, cum Alcibiadem superbiæ, insolentiæ atque immoderatiæ de se ipso existimationis arguisset, certio-rem atque efficacior-rem non his solum, sed reliquis omnibus animi morbis medelam admovere non potuit, quam vt eum a perturbationum tumultu, atque ab excusationum tergiversationumque calumniis, in interiorem & tranquillum conscientia puræ ac simplicis recessum

sevocaret, in quo residet *Φρονησις* illa & Deus, quem tam præclare iterum iterumque commendat Antoninus Philos. lib. III. sect. 6. μηδεν κρειττον Φαινεται αυτη τε ιδρυμενη εν σοι δαιμονος. — lib. V. sect. 27. εκασω προσατην και ηγεμονα ο Zeus εδωκεν απροσπασμα εαυτη. ουτος δε εστιν ο εκασθ νους και λογος. & locis aliis pluribus. cf. etiam locus ex Diog. Laert. VII. 88. jam ad c. VI. citatus: ειναι την αρετην και ευροϊαν βιω, οταν παντα πραττηται κατα την συμφωνιαν τε παρ' εκασω Δαιμονος. Ejusdem vero Dei imperio & moderamini subjecta esse debent etiam bona, quæ in nobismet ipsis deprehendimus, quorumque investigatio ad sui ipsius cognitionem referri quoque solet: naturalis scilicet quædam comitas, humanitas liberalitas, benignitas, cerea animi teneritudo & flexilis mollitia. Quæ amabiles animorum dotes, nisi a recta ratione coerceantur & gubernentur, tam in vitium quam in virtutem ancipites sunt, & quoniam specie quadam virtutis se insinuant, eos, qui nimium diligenter eas intuentur ac mirantur, sæpissime fallunt, veram virtutem expellunt, seque ipsas in ejus sedem collocant; idque eo fit inopinatus & conceditur libentius, quo minor in iis colendis & facilius est opera, quam in vera virtute fovenda & tuenda. Quare recte, puto, Plato sui ipsius cognitionem ad purissimum ejus simul ac omnis veræ & sapientiæ & virtutis fontem *Φρονησιν*, rectam rationem, Deum in penetrali pectoris nostri habitantem, reduxit. Ad hunc omnino omnia, quæcunque ad hominem i. e. ad animum ejus, ad virtutem, ad mores pertinent, referri necesse est,

est,

est, nec aliud certum virtutis fundamentum cogitari potest. Nam etsi vel summi Dei, omnipotentis rerum omnium creatoris, legem, manifestis divinitatis argumentis in manus traditam, vnicam agendi normam te accipere & pertotam vitam sequi velle dicas, tamen fatendum est, istam ipsam legem, si non metu aut alio quodam adfectu, qui libertatem mentis adeoque omnem virtutis dignitatem infringit, impulsus, sed sponte interna, in qua sola virtus est, ductus, ei obsequi volueris, non ratam nec firmam esse posse, nisi eidem auctoritas accesserit summi illius senatus, qui in Areopago mentis nostræ residet, qui omnia iudicat, ipse non iudicatur ab alio. (cf. Paulus Ep. I. ad Cor. cap. II. 15.) Quæ consideranti mihi non adeo absurdum videtur, quod placuit antiquioribus quibusdam, ut Platonis Alcibiadi I. adjungerent titulum: *περι τῆς ἀνθρώπου φύσεως*. Profecto enim de eo agit, quod præstantissimum est in homine, atque unice singularem naturæ ejus vim illustratam exhibet.

Quemadmodum autem Deus ille Optimus & Maximus, qui totum, quantus est, mundum numine suo explet, non in templis hominum manufactis habitat, nec parietibus & tectis includitur; ita nec Deus ille internus, lex summa, recta ratio, verborum aliqua formula comprehendi & litterarum angustiis includi potest. Sublimior enim ejus natura & vis divina, quæ totum, ut ita dicam mundum moralem nutu suo regit, virtutumque & vitiorum certissima designat discrimina, arctioribus se ipsam finibus circumscribi, & mortali qua-

dam verborum effigie repræsentari non patitur: plane vt recta linea, quæ in Mathematicis regnat, est illa quidem vere, nec fictitium quidpiam atque inane commentum, at nondum vlla materia vel ullo instrumento in charta vel tabula perfecte repræsentata & efficta est, neque unquam effingetur. Inde factum est, vt nemo adhuc principalem, quam putaret, legem, cui tanquam fundamento doctrina de morum ac vitæ institutione superstrueretur, promulgaverit, quin aliorum justam reprehensionem incurreret. Omnes autem, quotquot vnquam propositæ sunt, illiusmodi leges summi Kantii ratione victæ & prostratæ jacent. Ipsa quam ille proposuit, formula non omni carere crimine videtur. Quid enim? si jubearis *ita agere, vt tuam agendi rationem tanquam universalem legem promulgare possis*; nonne idem tibi in mentem veniat, quod mihi quidem illa Cic. de Fin. III. 22. „nec vero potest quisquam de bonis & malis vere „judicare, nisi omni cognita naturæ ratione & vitæ „etiam Deorum, & vtum conveniat, nec ne, natura hominis cum vniversa“ legenti semper subit animum, vt sic quæram: Quis vero homo ad eam naturæ universæ cognitionem pervenire potest, vt ejus rationem penitus perspiciat, ac vere judicare possit, an idonea sit & digna sua agendi ratio, quæ universalem auctoritatem nanciscatur? In sublimi igitur loco adfixa est ista lex, vnde conspici non possit, nec legi ab iis, qui ei tamen obtemperare jure & officio cogantur. Quodsi constantia & firmitas legi illi principali quæritur ex eo, vt ad omnes, quæcunque vsquam cogitari possint,

fint,

sint, naturas rationis vi præditas referatur, iisdemque rogatione publica promulgari possit: vndenam illarum naturarum cognitionem arripuimus? nonne ipsa naturæ nostræ divinæ diligentior perscrutatio rationis ideam progenuit, quam aliunde profecto non haberemus. Cur igitur extra nos iterum abripimur, & ad eas naturas respicere jubemur, quarum auctoritas tamen, vt vaga ne erret & quasi fictitia eleuetur, a nobis ipsis repeti debet? Quidni in ipso fonte subsistimus & hanc legem virtutis principalem sancimus: *Verere te ipsum: sive: Fac, vt te tibi ipsi, i. e. rationi rectæ probes.* Ad hoc principium recte agendi legem revocaverunt philosophorum ii, qui maxime virtutem ornarunt & in summo fastigio collocarunt, Socrates & Stoici. Socrates enim apud Xenophontem subinde amicos ad internam sui æstimationem relegat e. g. Apolog. §. 5. ἀγαμενος ἑμαυτον. Memorab. lib. II. cap. I. §. 19. ἀγαμενος μεν ἑαυτους & §. 31. τὸ πάντων ἡδίστη ἀρεσματος ἐπαινος σεαυτης \*) cet. Stoicorum autem conclusio: *quod bonum est, est laudabile* (Cic. de Fin. III. 8.) nisi meras nugas & verborum lusus continet,

---

\*) Errant enim, qui ἐπαινος h. l. interpretantur laudem ab aliis impertitam: nam hac quidem voluptas a sectatoribus suis non destituitur, neque etiam grammatica ratio hunc sensum admittit: σεαυτης enim vocaret otiosum. Itaque ἐπαινος σεαυτης est interna tui ipsius comprobatio.

tinet, id vult: quod vere bonum sit, id internam mentiscomprobationem & genuinam conscientiae laudem habere debere. Eodem pertinet id, quod eodem capite Cicero inter ea recenset, quae in sapiente requirantur: *bene de se judicare*. Hoc qui affecutus sit, ut rectam rationem sequens se ipsum alicujus pretii aestimare possit, ei dubitandum non est, quin consentientes habeat omnes, quot quantique usquam sunt rationis vi pollentes. Una est illa ad hanc rem via, una est norma & lex primaria, ad quam reliquas omnes referri necesse est. Sed dicat fortasse aliquis non sine insigni veritatis specie: Hoc quidem doctrinae moralis principium transversos aget eos, qui perversa conscientia utuntur, qui plurimi sane sunt: hi bene de se actum putabunt, cum pravo mentis judicio sua malefacta comprobari vel sentiunt, vel, suam ipsi animi conscientiam callide frustrantes, sentire se certe putant. Sed *primo* simile quid accidere poterit, si praescribatur, sic agendum esse, ut tuam vitae institutionem pro universali lege venditare possis. Nonne enim, qui voluptatem summum bonum judicat, is multos libidinum & comissionum socios habere optat, eosque qui aliter sentiant, stultos, obscuros, vecordes pronunciat? Nonne qui suis tantum commodis studet, nec quidquam humani ad se pertinere putat, semper in ore habet: suis cuique rebus prospiciendum, reliqua Deo permitienda esse: *Ein jeder für sich und Gott für uns alle!* Hanc universalem ille legem optimam fore putat, quia ipse sequitur. Excusandi etiam cavillationem adjuvare videtur illa lex. Nihil enim liben-

liben-



libentius faciunt homines, quam vt proprio mentis iudicio, quo damnari se nec immerito putant, derelicto, ad alios provocent, & hac sententia se consolentur: Quivis certe, aiunt, sanæ rationis homo, si in mea causa fuisset, aliter acturus non erat \*). Hoc quasi communis rationis effato omni se crimine liberatos putant: vnde patet, etiam istam legem abusui & calumniæ perditorum hominum esse obnoxiam. *Deinde* vero non latronibus, nec furibus, nec avaris, nec tyrannis, nec parricidis, nec libidinosis, nec voluptate aut luxuria deperditis principium agendi & doctrinæ moralis fundamentum quæritur. Verberibus hi & vinculis compescendi, tormentis cruciandi, calamitatibus, damnis, poenis varii generis, morbis, paupertate, contemptu castigandi, donec ad sanam mentem redeant, & omnia vana esse ac futilia, præter ea, quæ in ipsa hominis mente reposita sint, discant & profiteantur. Quicumque autem ita vel a teneris institutus sit, vel ingenii studiique felicitate eo pervenerit, vt exemplo Socratis \*\*) omnia

---

\*) Exemplum hujus rei est ap. Ovidium, qui mirus sæpe artifex est in describenda fraude, qua rectam mentis conscientiam in transversum abripit prava animi libido, *Metam. VIII. 74. altera jamdudum &c.*

\*\*) e. g. ap. Plat. in Critone c. 8. ed. Fischer:  
 Ουκ ἄρα ἡμῖν φροντισεον, ὅ τι ἐρῶσιν οἱ πολλοί, ἀλλ' ὅτι ὁ ἐπαιῶν περὶ τῶν δικαίων καὶ ἀδίκων,

ad solam veritatis normam revocet; veritatem, quæ sola menti humanæ tam conveniens & propria est, ut nisi perversa educatione & prava institutionis methodo ejus sensus reprimatur & obscuratur, sua sponte emergat, atque elucescat, unice sequatur; is profecto, rationis suæ intelligentiam contuens, aliam, qua vitam regat, legem non desiderabit, nec, dum ei morem geret, a virtute aberrabit. Non est autem, quod quæras: Quid est veritas? Hoc quidem idem mihi esse videtur, ac si altius repetere atque ad vivum refecare velis, quid sit Deus? quid sit mens hominis? quorum quidem notitiam habemus, vim aut naturam interiorem non novimus. Vtrique autem veritas tam propria est, ut non male ab antiquis hominum Deorumque natura & perfectio cum veritate comparetur. Stobæus Serm. IX. e. g. hæc habet: ἀνδρῶν ἀρετα, σοφια τε παγκρατης τελεθει ἀληθεια -- εια -- οι Μαγοι ἀπο φαινονται τον μεγαιον των Θεων εοικενα, το μεν σωμα, φωτι, την δε ψυχην, ἀληθεια. Commode etiam huc refertur magnificentum illud Orphei de veritate effatum, quod Fischer ad locum e Platone paullo ante excitatum laudat: εἷς Θεός ἐστι.

Θεῶ

ἀδικῶν, ὁ εἷς καὶ αὐτὴ ἡ ἀληθεια — & in Gorgia pag. 78. ed. Bipont. ἐγωγε οἶμαι κρειττον εἶναι, πλειους ἀνθρώπους μή μοι λογειν μοι, ἀλλ' ἐναντία λεγειν, μαλλον ἢ εἶνα ὄντα ἐμε ἐμαυτῶ ἀσυμφωνον εἶναι καὶ ἐναντία λεγειν.

Θεω δ' ἐν συμφυτον ἀληθεια. Quodsi quis dicat, veritatem esse convenientiam cum primariis animi nostri notionibus, vereor, ne vel in orbem ad sua initia revertatur nimis studiosus explicandi conatus, vel parum certe ad recte vivendi ulum fructus inde redundet. Bene autem profecto actum est de vita hominum, quod ejus actio non e subtilibus & spinosis philosophorum quæstionibus definienda est: quodsi esset, sæpe aqua nobis effluxisset, priusquam vivendi exordium caperemus. Sed ultro nobis se offert veritas, modo animo puro, simplici atque integro eam excipiamus. Quod Salomo Prov. VIII. 9. de sapientia dicit; *effata ejus plana esse & recta, cognoscendi cupidis*; id de veritate mutato tantum nomine commodissime dicitur. Nec frustra est, quod Christus Matth. VII. 7. ait: *ζητετε, καὶ εὕρησεται*. In puteo quidem latere eam vulgo ajunt; verum is puteus in profunditate mentis nostræ latet, quam si diligenter rimati fuerimus, non effugiet, sed fida & dulcis comes nobis adhærebit. — Hanc disputatiunculam si citato Christi effato: Joh. VII. 17. concludam, periculum quidem est, ne a multis arrogantia atque insolentia crimem subeam; at monitos eos velim, me non id agere, vt singula verba dicti illius divini ad me ipsum applicem, quod stulti sane foret, sed vt summam tantum sententiam ad rem propositam accommodem, & a summi illius doctoris auctoritate rivulum quendam ad rem, quæ summi ad hominum vitam momenti videtur, convertam.

Quod

Quod paullo fusius & ita, vt notulæ modum nonnihil excederem, ista differui, id eo consilio factum est: partim vt ostenderem, non adeo absurde Ciceronem & legem & virtutem vna definitione comprehendisse; partim, vt, quænam veterum philosophorum sapientissimi recte vivendi principia posuerint, declararem. Cæterum meam qualemcunque sententiam exponendo in certamen cum summis viris descendere nolui, neque id meæ facultatis, nec hujus loci esse putavi. At dubitando verum exquirere quis vetat?

## CAPUT VIII.

§. 25. *est igitur hominum cum Deo similitudo.* Hujus phraseos diversis ætatibus diversa est significatio probe distinguenda. Sicut enim antiquissimorum hominum opinio nec norat, nec curabat eam, quæ proprie virtus est & probitas animi, in Diis suis: ita nec hominum cum Diis similitudo in ea ipsa quæri poterat; sed, quia præ reliquis hoc animal sagax, providum, callidum potens etiam & animosum erat, ideo præstantiam ei præ reliquo animantium genere tribuebat remotissima antiquitas, imo Diis illud comparabat; quod eo fiebat facilius, quod Deorum forma & notio ad hominum naturam efficta, in majus tantum aucta erat. Tantum vero aberat antiquissima illa opinio a similitudine, quæ dicitur, morali, vt Moses ipse e. g. cum ad imaginem Dei hominem creatum esse dicat, eandem in sola dominatione in reliquos animantes positam explicet, Genes. I. 26. sqq. Alio vero loco Gen. III. 22, post pec-  
ca-

catum jam perpetratum similitudo tamen hominis cum Deo non agnoscitur solum, sed tanquam ex legis transgressione demum enata censetur, atque in sola cognitionis & scientiæ perfectione ponitur: bona enim & mala dignoscere posse, est expressio maturitatem ingenii quandam designans: cf. Jesaiæ VII. 15. Hom. Odyss. I. 310. Tertius autem locus Levit. XI. 44. 45, quo tanquam perfectissimam morum sanctitatem ad exemplar Dei postulante sæpe uti solent religionis doctores, quid aliud quam externam corporis ciborumque munditiam spectat? Mirum id scilicet videri non debet, quia Dii antiquissimi non virtute, naturæ ac vitæ sanctitate, sed robore, intelligentia, vitæ abundantia atque elegantia beati & magnifici censebantur: quare etiam homines divites, potentes & callidi inprimis *διογενεις, θεοις ἐναλιγκιοι* nominabantur: Postquam autem melioris philosophiæ vena fluere cœpit, & genuina humanæ naturæ dignitas cognita fuit, tum moralem perfectionem & in Deo spectarunt philosophi & hominis cum Deo similitudinem in hoc inprimis posuerunt, ut virtutem, bonitatem, clementiam, munificentiam Deorum imitentur, quo in genere censendi inprimis sunt Stoici: cf. e. g. Diog. Laert. VII. 119. Stobaei Serm. 114. (vnde plenior locum, quia multa ad Ciceronem explicandum utilia continet, sub finem hujus notulæ adjungam;) nec prætereundus, imo præ cæteris nominandus veræ atque unice divinæ virtutis auctor Christus ap. Matth. V. 48. Dupliciter autem istius similitudinis mentio occurrit; partim ita, ut homini eam jam inesse & quasi

G

in-

inhabitare dicant, vel tanquam indolem, vel tanquam perfectam jam, ut in sapiente, & ad summum perductam rationem: partim ita, ut imaginem Dei, tanquam exemplar, quod assequi atque in se ipso repræsentare studeat, homini proponant. Paulus ad Coloss. III. 10. Hoc quidem absque illa naturæ indole non magis locum habere poterit, quam ut adolescens magni alicujus viri exemplum feliciter aemuletur, nisi parem ei facultatem atque ingenii indolem natura faulrix tribuerit. Quodsi igitur vel ab initio non insita fuisset, vel deperdita ac deleta omnino dicatur primaria illa Dei in homine imago, tum vana & nulla prorsus sit ista, ut Deo similes simus, adhortatio. Primum igitur est, ut internam, qua pollemus, dignitatem divinam agnoscamus & vereamur: secundum, ut istam præstantiam excolamus, neque vero nequitiae malis corrumpamus, animo tenentes illud Pauli Ap. ad Cor. I. 3. vers. 16. *οὐκ οἶδατε, ὅτι ναὸς θεοῦ ἐστὲ, καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν; εἰ τις τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ φθειρῆι, φθειρῆι τὸν ὁ θεός.* cf. etiam Cic. de legg. I. §. 59. Locus autem ex Stobaeo supra citatus hic est ex Musonio Stoico:

*Γηρῶς ἐφοδῖον ἀριστὸν ταυτὸν, ὅπερ καὶ νεότητος. τὸ ζῆν ὁδῶ τῆ κατὰ φύσιν. Τοῦτο δὲ μαλὶς ἂν οὕτως μαθῶις, ὅποιον τι ἐστίν, εἰ ἐννοήσαις τὴν τῶ ἀνθρώπου φύσιν, ὡς ἔπρος ἡδονὴν γεγρονεν. ἔδε γὰρ ἵππος, ἔδε κυων, ἔδε βῆς, ἀπερ ἀτιμότερα πολὺ ἀνθρώπου ἐστίν, ἔπρος ἡδονὴν γεγρονε. ἔδε γὰρ νομισθεῖν ἂν τυγχάνειν τῶ ἑαυτῶ τελεθς ἵππος, ἐστῆων μὲν καὶ πινῶν καὶ ὀχευῶν ἀναιδῆν, πρᾶτ-*

πραττων δε μηδεν, ὧν ἵππῳ προσηκει. ἔδε γε  
κυων, ἠδομενος μεν, ὡσπερ ὁ ἵππος, ἀπασας ἠδο-  
νας, πραττων δε μηδεν, ἀφ' ὧν ἀγαθὸ νομιζονται  
εἶναι κυνες. ἔδε μὴν ἄλλο ζῶον ὅτις, ἐργα μεν τὰ  
προσηκόντος αὐτῷ φερομενον, ἠδονων δε ἐμπιπλα-  
μένον. Ουδεν ἐν οὕτω ζῆν λεγοιτο κατα φυσιν.  
ἀλλ' ὅτι ἀν μαλισα τὴν ἀρετὴν ἐμφανιζῆ, δι' ὧν  
πραττει κατα τὴν ἑαυτῆ φυσιν. ἀγει γαρ ἡ  
ἐκαστῆ φυσις ἐκαστον προς τὴν ἀρετὴν τὴν ἐκείνη.  
ὡσε και τον ἀνδρωπον εἶκος, οὐχ' ὅταν ἐν ἠδονῇ  
βιοι, τότε κατα φυσιν βιοι, ἀλλ' ὅταν ἐν ἀρετῇ-  
τοτε γαρ και ἐπαινεσθαι δικαίως ὑπαρχοι ἀν αὐ-  
τῷ, και μεγα φρονειν ἐφ' αὐτῷ, εὐελπιν τε και  
θαρραλεον εἶναι, οἷς εὐφροσυνην τε και χαρὰν  
βεβαιαν ἐπεσθαι ἀναγκαιον. Καθολοι δε ἀν-  
δρωπος μιμημα μεν Θεοι μονον των ἐπιγειων ἐσιν,  
ἐκείνω δε παραπλησιας ἔχει τὰς ἀρετας. ἐπει  
μηδ' ἐν Θεοις μηδεν ὑπονοῆσαι κρειττον ἐχομεν  
φρονησεως και δικαιοσυνης, ἐτι δε ἀνδρειας και  
σωφροσυνης. Ὡσπερ ἐν ὁ Θεοι, δια τὴν παρθε-  
σιαν τῶτων των ἀρετων, ἀήττητος μεν ἠδονης,  
ἀήττητος δε πλεονεξιας, κρειττων δε ἐπιθυμιας,  
κρειττων δε φθονος και ζηλοτυπιας, μεγαλοφρων  
δε και εὐεργετικος και φιλανδρωπος. τοιουτον  
γαρ ἐπινοομεν τον Θεον. οὕτω και το ἐκείνη μιμη-  
μα τον ἀνδρωπον ἠγῆτεον, ὅταν ἔχη κατα φυσιν,  
ὁμοίως ἔχειν, και οὕτως ἔχοντα εἶναι ζηλωτον. ἀν  
δε ζηλωτος, εὐθυς ἀν εἴη και εὐδαιμων. οὐ γαρ  
ἀλλοις γε τινας, ἢ τῶς εὐδαιμονας, ζηλεμεν. Και  
μὴν ἐκ ἀδυνατον γενεσθαι τοιετον ἀνδρωπον. ἐ  
γαρ ἕτερωθεν ποθεν ταυτας ἐπινοῆσαι τὰς ἀρε-  
τας ἐχομεν, ἢ ἀπ' αὐτῆς τῆς ἀνδρωπειας φυ-  
σεως,

σεως, ἐντυχόντες ἀνθρώποις τοισδε τισιν, οἷς ὄντας αὐτοὺς θεῖς καὶ θεοεῖς ὠνομαζόν. Εἰ μὲν ἔν τις τυχοῖ ἐτι νεὸς ὢν, παιδείας ὀρθῆς ἐπιμελείαν πεποιημένος, καὶ τα μὲν, ὅσα μαθημάτων ἔχεται καλῶν, μεμαθηκὼς ἐκ ἐνδεως, τα δε ἀσκητὰ ἡσκηκὼς ἰκανῶς, οὗτος ἂν ἐν γῆρα ταις ἐνστάσις ἑαυτῷ χρωμένος ἀφορμαῖς ζῶη κατὰ φύσιν.

§. 25. *propior certiorve cognatio.* Dav *prior* prætulit, sed exemplis de usu hujus vocabuli satis noto allatis non probavit, cognationem etiam priorem recte dici, præsertim h. l. ubi cum *certior* conjunctum hoc vocabulum arctius definitur, & cognatio tam propinqua designatur, ut dubitari de ea non possit. Si Cicero *prior* i. e. præstantior posuisset, tum ista vox post *certior* locum occupasset, cum notionem exprimat magnificentiorem. *Prior* autem ad tempus refere h. l. putidum foret, cum in cognatione non temporis antiquitas, sed conjunctionis ipsius propinquitas spectetur.

— *Itaque ad hominum cet.* Ista conclusio antiquitatis priscae superstitionem redolet, qua Dii etiam hominum factiosorum more suis inprimis cognatis favere credebantur, cujus rei plura in Homero exempla occurrunt. e. g. vid. Il. V. 896. Odyss. IV. 562. sqq.

— *quod perspicuum sit.* Pro quod Dav. legi vult: *quas*, ut ad pecudes referatur: Ern. autem *quo*, quod multo minus placere potest: non enim Cic. jam id declarare velle videtur, quem in  
finem



finem ea non fortuito nata videantur, nempe *ut perspic. sit*, sed causam potius exponere, unde ita esse appareat, nempe *quod s. quoniam perspicuum sit. cet.* Eandem argumentationem vberius persequitur de Nat. D. II. 63. 64. *tantumque abest, ut hæc bestiarum etiam causa parata sint. cet cet.*

## CAPUT IX.

§. 26. *sensus.* cf. de Nat. Deor. II. 56.

— *Rerum plurimarum obscuras & necessarias intelligentias enodavit.* Res, quas in mente habuisse videtur Cicero, sunt, puto, hæc: ut infans & puer jamdum tenella ætate, nulla alia, nisi natura duce & magistra discat uti corpore suo & membris; similitudines rerum & diversitates cognoscat; magnitudinem, spatia, situm locorum & corporum distinguat; se ipsum ab iis diversum sciat & cogitet; inde manibus aliquid tractet & appetat; nomina rebus & sua sponte imponat & imposita ab aliis notet atque imitetur; sonorum etiam & colorum varietate delectetur; eoque quasi gradu connixus aliquid pulchri sentire, & quid decens, quid non sit, intelligere incipiat. Ista quidem omnia & ortu & modo *obscura* sunt ita, ut quo principio, quo progressu utatur, qua via & methodo incedat in iis enodandis natura, nec explicare, nec, si arte naturæ destituantur quidam miseri, hunc defectum vlllo institutionis artificio compensare possis. *Necessaria* autem sunt, quia absque illorum fundamento nulla nec disciplina, nec doctrina, locum habet. Ab illis enim initiis pro-

ficisci debet omnis institutio, neque sine iis ingenium vlllo pacto, neque experientia, neque eruditione aliqua excoli potest: id quod, vt alia omittam, eorum exempla demonstrant, qui, bis duo facere quatuor, mente assequi non potuerunt. Istam *προληψιν* s. anticipationem dixit Epicurus, de qua Diog. L. X. 33. Cæterum an enodatio ipsa rerum illarum in prima infantia ætate adjuvari possit & amplificari, ea magna nec inutilis quæstio est; neque vero iudicatu facilis, quia multa & in vtramque partem peccari possint ab imprudentibus; prudentes vero & tenellorum suorum sapienter amantes matres ipsæ viam invenient, monitæ tantum, suam vel hac ætate diligentiam non inutilem fore. — De lectione totius loci admodum a Criticis vexati ex librorum auctoritate vix certi aliquid constitui potest. Ego eam secutus sum, quæ ad sensum & ad grammaticam videbatur optima. Ern. tenuit: *verum plurimarum obscurarum necess.* quod & sono & numero displicet, & num notionem veram contineat, dubitari potest. *Enudavit* vix latinum est eo, quem hic locus postulat, sensu. E conjecturis de hoc vocabulo inventis imprimis arridet Gulielmi: *enucleavit*: Canteri: *inchoavit* & Davisii: *adumbravit* a litterarum similitudine longius recedunt, nec eandem sensus veritatem habent & convenientiam.

§. 27. *vultus*. Vocabulum hoc a *volo* derivandum videtur; vnde voluntatis indicium jam in etymo vocis inest. Is non omnino quidem reliquis animantibus deesse videtur; nam & in equis & in canibus ejusmodi aliquid reperiunt artis periti;

riti; sed propter agitationem mentis in homine majorem, forte etiam propter tenuiorem & glabriorem cutem & nervos musculosque mobiliiores acrior est & perfectior ejus in hominis facie expressio. Quod Græcis ejusmodi vocabulum deesse dicit Cicero, id recte se habet: nam etsi rem ipsam vocabulis: *προσωπον*, *ἦθος*, addo etiam *ὄμμα*, *μετωπον*, *ῥιν* exprimant & designent, tamen non habent vocabulum vnum, quod sua vi propria notionem ejus, quod Græci *το ἐπι προσωπω ἦθος* dicunt, i. e. eum oris habitum, qui animi index sit, comprehendat. *Προσωπον* enim est *facies*. *ἦθος* autem *animi mores*. Observatio autem vultus perquam utilis est: data enim eum in finem videtur, ut de affectione mentis ejus, quocum res sit, antea certiores fiamus, quam inopinantes nos occupet. Ista notio in vocab. germanico *Miene* inest, quod ad lat. *minae* referre non dubito. *Minae* enim proprie sunt partes extantes & procurrentes, unde *eminere*, & reliqua hujus stirpis vocabula significationem suam habent; consuetior autem & tritior illius vocabuli usus præ se fert indicium voluntatis animi ipsum factum præcurrens; quæ ipsa vis est germ. *Miene*, sed latiori ambitu: nam *Miene* non mala solum & metuenda, ut *minae*, sed bona etiam & placida minatur & indicat.

— *quod principium vel. rer. esse vol.* Rectè Turnebus defendit hanc lectionem & aptissime explicat. Scilicet *quod* non ad hominem sed ad *generavit* & *ornavit* refert: principium non de principatu hominum præ reliquis animantibus accipit,

cipit, sed de elemento & fundamento: quæ interpretatio unice orationis cohærentiæ respondet, ita vt mirer Davisium neglecta Turnebi ratione legendum omnino contendere: cui *principatum* & *Heinzium* in versione Davisium sequi & dare: *welcher über die andern Geschöpfe herrschen sollte*; cum de dominatione hominis in reliqua sermo prorsus esse non possit. Quæ enim ista oratio: quoniam homini natura principatum & dominationem tribuit, perspicuum sit, ipsam per se naturam longius progredi? At bene se habet hoc: quoniam iis, quæ principii & fundamenti loco substernenda erant, exornavit hominem Deus, illud jam pro certo habeatur, naturam cet.

— *Confirmat ipsa per se rationem.* Pessime vertit H. *sich selbst beweise.* Natura ab illis initiis profecta, sua sponte, suis viribus rationem s. mentem ulterius excolit, nutrit, confirmat & ad perfectionem producit.

#### CAPUT X.

§. 29. *Opinionum vanitas — coepisset.* Davis. legit: *varietas — cupiisset* eamque mutationem ex cap. 17. vel depromit vel defendit. Sed *vanitas* h. l. melius respondet *consuetudinis depravationi*: *cupiisset* autem non commode ad *varietatem* referri videtur, quæ certum finem habere non potest, quem assequi cupiat. Sed vanitas opinionum, etsi fundamento satis certo & firmo destituta, eo tamen hominum animos perducit, quocunque semel in prima & tenera ætate flecti & delabi cœpit.

§. 29.

§. 29. *quam omnes omnium.* Vulgo sunt inseritur, quod locum prorsus habere non potest; *Essent* autem, quod ad grammaticam rationem recte se habet, elegantius tamen, puto, abest, & subintelligitur.

§. 30. *quæ si esset.* Indigna prorsus est Dav. conjectura: *quia, si esset.*

— *discendi quidem facultate par.* Sana videtur ista lectio, modo & *doctrina* sexto, qui dicitur, casu sumas.

— *itidem movent omnium* sc. eorum, qui sanitate sensuum gaudent.

— *verbis discr. sententiis congruens.* Ea nimirum est præstantia, qua sermo hominum a naturæ vocibus, quas in brutis etiam & feris variæ corporis animique affectiones exprimunt, differt; quod istæ in quovis genere propriæ sunt, certæ & immutabiles; sermo vero humanus easdem per totum terrarum orbem res diversissimis sonis declarat.

— *nec est quisquam gentis ullius, qui ducem naturam nactus.* cet. Istam sententiam confirmant certa de barbaris populis testimonia, in in quibus omnibus adhuc vis naturæ, ad altiore gradum sapientiæ, cujus unicum fere modulum in doctissimis Europæ nationibus habemus, perveniendi, cognita est & deprehensa. Lect. *nactus* recte se habet, modo explices causaliter: *cum duc. n. nactus sit*; non conditionaliter: *si. d. n. n. f.*

## CAPUT XI.

§. 31. *in pravitatibus.* Davis. volebat: *in pravis actibus*, quæ lectio, etsi codd. auctoritate

se tueatur, probanda tamen non est: cum, quia *actus* isto significato Ciceronianæ ætatis non est; tum quia jam non de pravis facinoribus solum & vnice, sed de animi potius prava adfectione sermo est. Recte igitur Ernesti *pravitatibus* retinuit.

— *laevitate enim.* hæc lectio illustrari potest ex Anton. Ph. V. 26. *υπο της εν σαρκι λειας κινησεως.*

§. 32. *propterque quandam* hon. &c. Ex codd. vestigiis Davil. *quandam* elicuit & interferuit, eamque voculam equidem tenendam putavi, vt sua orationi concinnitas constet. Similitudo autem honestatis & gloriæ duabus inprimis rebus cernitur, quæ faciunt, vt nec sapienti spernenda gloria videri debeat. *Primo* enim in iudicio & comprobatione hominum inest conscientiæ nobis animique confirmatio. Quis autem tam arrogans fit, vt sibi soli satis sapere videatur? Quis non potius gaudeat, sua recte facta, aliis etiam probari, suumque iudicium, in tanta præsertim animorum coecitate, qua nemini ab opinionum erroribus se tutum putare fas sit, ratum firmumque haberi. Vix homo videatur ille, sensu communi præditus, qui aliorum sententiam omnino negligat. Certe vel sapientissimus & constantissimus moveatur paullum & excitetur necesse est, saltem vt diligentius tanto rem reputet, atque iterum iterumque animo volvat; si cognoverit, totius fere generis humani sententiam a sua plane diversam esse. Huc pertrahi etiam possit lex Kantiana, quæ omnium mente & ratione præditorum consensum jubet respicere, in qua certe hoc latet, vt nostro ipso-

ipforum iudicio temere ne confidamus, fed alio-  
rum etiam iudiciis ornari cupiamus: isque est ho-  
nestissimus gloriæ fons. *Deinde* vero in vita &  
societate hominum non nobis solis vivimus & agi-  
mus, sed nostra communia fere sunt, atque ad  
omnium utilitatem pertinent. Ista tamen utilitas  
cesset, imo pereat necesse est, nisi rationes tuas,  
consilia atque instituta, hominibus probaveris,  
aliquemque etiam splendorem rebus tuis quæsi-  
veris. Plurimi enim homines externam tantum spe-  
ciem norunt, rerum ipsarum, virtutis ac veritatis,  
incuriosi. Hi fama, vt pueri crustulis, ad salu-  
taria alliciendi sunt, donec ipsam rerum dignita-  
tem æstimare didicerint. Famae igitur studeat,  
quicumque utilitatem aliquam in medium adferre  
cupiat, atque in hominum societate ad iuvanda suas  
officii partes explere velit. Sic cum virtute cohæret  
gloriæ studium: at vanitati, honoris cupiditati, ni-  
mioque auram vulgarem captandi studio me non  
suffragari, quilibet æquus rerum arbiter intelliget.

— *Illud extremum est, quod recte vivendi  
ratio meliores efficit.* Hæfere in hoc loco viri do-  
cti, neque immerito. Non enim statim liquet,  
quis sit horum verborum cum antecedentibus ne-  
xus, quæ consecutionis ratio. Varie rem expedire  
conati sunt. Turnebus *rationem* interpretatur *in-  
stitutionem & præceptionem.* Scheffer ap. Verbur-  
gium in vocabulo *meliores* moratur. Davifius no-  
tat. *quod* h. l. pro constructione Accusativi cum  
Infinitivo positum esse, atque id agit, vt hoc ali-  
quo modo defendi posse confirmet. Sed vt rem  
acu tetigerint viri docti, equidem vereor, cum ex  
iis,

iis, quæ dixerint apta consecutionis ratio non emergat. Mihi quibem in vocabulo *extremum* summa difficultas latere videtur: quod si ita sumas cum plerisque & Heinzio in vers. germanica, ut sit pro: *extremo loco dictum sit*, sive: *es folgt endlich*, tum soloecimum in *quod* vix defendas, multo minus, commodum aliquem orationis nexum elicias. Alia igitur via ingredienda & *extremum* e sensu accipiendum, quem in Disput. de Fin. B. & M. lib. I. c. 9. III, 7. de Amic. 6. in. habet, ut sit id, quo reliqua referri oportet. Nempe, cum Cicero hominum inter ipsos conjunctionem ex communione rationis tam rectæ, quam pravæ deduxisset, dubitatio oriri poterat, anne, si lex ad rationem humano generi communem referri debeat, aequè commode ad pravam, quam ad rectam referatur, i. e. anne lex ea sit, quæ ex libidine, more atque institutis gentium, quanquam perversissimis, oriatur, quo facto omnis disputatio Ciceronis corruat. Huic dubitationi atque errori ut occurreret Cicero, hoc addit: „quæ adhuc dicta sint, ad eum finem referenda esse, ut dispiciatur, quænam vivendi ratio „meliores efficiat; eam autem sine dubio esse „rectam, & pro legis fundamento habendam, quæ „meliores reddat. Hoc igitur extremum, ultimum, hunc finem ponit, quod recte vivendi ratio meliores homines efficit. Quæcunque igitur „id non præstat, ea recta habenda non erit, neque „in legis constitutione respicienda.“ Quod si vere Ciceronis sententiam auguratus sim, illud tamen fateri necesse est, nimia eum brevitate usum esse, &



& magis indicasse, quid forte velit, quem declarasse & exposuisse sententiam, ut fas erat. Hanc tamen culpam magis patiar in Cicerone sedere, præsertim in libris philosophicis, quibus horæ tantum subserviæ impenderentur, accuratior verò lima non adhiberetur; quam concedere Cicero-nem, dicendi magistrum, aliquid sensu & recta consecutione omnino carens, dicere & scribere potuisse. — Homines autem virtute i. e. recta ratione meliores fieri, fatentur etiam qui vitiis quidem indulgent, attamen eos, qui virtutem colunt, majori honore dignos & reverendos judicant; se ipsos tamen sibi beatiore esse opinantur, aut se tales esse non posse profitentur. — Denique cum illa, quam in hoc loco inesse puto, concludendi ratione, comparari possit Belisarii ap. Marmontelium c. XV. argumentatio, eam religionem pro vera habendam, qua se meliorem fieri sentiat: nec non nostrorum & Theologorum & Philosophorum dogma: hanc demum revelationem Deo dignam esse, quæ vitæ morumque sanctitatem spectet unice ac tueatur.

## CAPUT XII.

§. 33. *Sequitur igitur cet. Eadem argumentandi ratio est de Fin III. 19.*

— *jus, quod dicam, naturam esse. Non dubitavi priorem voculam, quæ a vulgatis abest, doctorum virorum auctoritatem secutus, in textum recipere, quia absque ea vix sanum sensum fundat oratio. Simili fere modo locutus est Cic. de leg. III. §. 3. *jus conditionemque naturæ, quod cum dico, legem a me dici volo. Fin. III. 21. *jus, quod***  
*ita*

*ita dici possit, esse naturam: & convenit, quod huius libri cap. VI. est: lex est ratio summa insita in natura.*

— *utilitatem a natura.* Naturam Cic. paullo ante jus esse dixerat, ex eaque rationem & legem derivaverat. Utilitatem igitur a natura sejungere est: eam a jure & lege fecernere eique repugnantem putare.

§. 34. *unde est illa Pyth.* Paullo majorem ante ista lacunam esse, equidem nullus dubito. Nimis enim abrupta & hiulca est oratio. — Cæterum amicitiae cum vniversa hominum societate comparatio solennis Ciceroni est. vid. de Fin. III. 21. & de Amic. 5. extr.

— *pari virtute præditum.* cf. definitionem amicitiae a Laelio propositam b. 6. in & cap. 4. *voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensus.*

### CAPUT XIII.

§. 35. *Nisi quid Attico videtur.* Recepi lectionem Vrsini, auctoritate vet. lib. Msti introductam. Vulgata enim stare vix potest. Ex iis enim, quæ paullo post Atticus ipse dicit, apparet, Quintum de Attici sententia dubitanter locutum esse, neque vero aliter decebat. Equidem, si liceret, scripsisse malim: *nescio an Attico, mihi quidem certe videtur.*

— *vnam esse hominum cet.* Male, puto, vertit Heinze: daß die Menschen untereinander auf

auf einen gewissen gleichen und gesellschaftlichen Fuß leben. Tota superior oratio ostendit, sensum esse: daß es eine einzige allen Menschen gleiche und gemeinschaftliche Lebensregel giebt.

§. 36. *Veterum illorum*, Platonis imprimis, qui plerumque id tantum agit, vt causam de qua agendum sit, ab omni parte collustret, explicet, excutiat, huc illuc verset, & præparet magis justam disputationem, quam ipsam perficiat.

— *qui quasi officinas instr.* — sunt Stoici, quorum disciplinæ admirabilem compositionem describit Cic. Fin. III. 22.

— *Articulatim distincteque* non recte, puto, vertitur germ. genau und nach allen Kleinigkeiten: sed: nach systematischer und logischer Ordnung.

— *scilicet.* Temere vexat partic. *scilicet* Lambinus, non respiciens, eleganter *scilicet* ab initio orationis dici indignationem vel admirationem non sine derisione quadam etiam exprimens.

§ 37. *ad resp. firmandas, ad stab. leges scilicet sanand.* Conjecturam Davis. *leges pro vulg. vires* legentis Ernestio etiam probatam, nec non *scilicet* ante *sanandos* in textum suscipere non dubitavi, cum aliter nec sensus constet, nec latinitas. Tamen vel sic lectio nondum sana videtur. Non enim de sanandis i. e. de restituendis ad integritatem atque a pernicie revocandis populis vsquam in hocce libello sermo est, certe non expressis verbis, etsi, si quis pertinaciter contendere velit, in cap. V. extr. ejusmodi aliquid inesse videri possit. Cicero  
qui.

quidem nusquam se ita sospitatore[m] populorum vno quasi morbo correptorum profitetur, vt h. l. fecisset, si vulgata omnino tenenda foret lectio: imo cap. V. extr. magis exempli & vsus caussa, quam reprehensionis & correctionis, leges populorum, Romanorum imprimis, videtur tractare voluisse, quod ostendunt etiam lib. II. & III. de legibus, quæ maximam partem Romanæ sunt. In cod. Ursini erat *sociandos & jure* etiam ap. Lambin. Ex hac igitur varietate hanc elicias lectionem Cicerone quidem non indignam: *ad resp. firm. ad stab. leges, & jure sociandos populos.* Cum scilicet *leges* semel vitio operarum omissum esset, tum ex vocabulo *jure* cum *stabiliendas* componendo & concinnando reliquæ variantes lectiones ortum duxerunt.

§. 38. *hæc, quæ dixi, probantur.* Probabiliter sane Turn. & alii *probentur* legerent & ad ea, quæ præcesserunt: *sed vt iis* referrent, nisi h. l. *quæ dixi* interpositum esset: quod declarat, Ciceronem, paullo quidem negligentius, cum de iis, quæ dicturus esset, vt his Philosophis probarentur, se velle adfirmasset, jam de iis loqui, quæ de Deorum hominumque communi ratione & societate præmunita fuerunt, quæ quidem his, quos dixit, philosophis probantur.

#### CAPUT XIV.

§. 40. Argumentum eorum, quæ temporis aut librariorum incuria intercepti, repetendum videtur ex iis, quæ Plato disputat de legg. lib. IV. p. 179. sqq. ed. bipont. vbi exemplo Croni Deos rei publicæ principes constituendos censet. Inde  
vero

vero, (pag. 185.) cum Deus ipse rectam rationem sequatur, (εὐθείαν περαινει κατα Φυσιν πορευομενος) homines eandem viam ingredi debere docet, ac porro, solum virum bonum Deos rite colere, impios vero, vt impuros omnes, vanos esse circa cultum Deorum, atque incassum laborare, concludit. Huc etiam pertinet, quod idem Plato de legg. X. p. 109. Deos sacrificiorum & munerum oblationibus placandos non esse demonstrat. Cum ipsis autem verbis Ciceronis, quæ initio hujus cap. habentur: *nam & in iis sine ullis suffimentis expiati sumus* paene congruit quod ex Porphyrio Stobaeus ferm. 19. citat, inscriptionis templi delphici: γνωθει σεαυτον, hanc esse sententiam, vt ante lustrationem etiam sanctos esse, qui ad se accedere velint, Deus jubeat (και προγε των περιεργαντων προτελειθαι τω θεω επιταττει). Idem vero vult Cicero lib. II. de legg. cap X. *caste jubet lex adire — — animi labe nec diuturnitate evanescere nec amnibus ullis elui potest*: Ex his omnibus autem emergit hoc: sanctitatem & virtutem non esse in aliquo metu & cultu Deorum, sed ipsos Deos absque integritate animi coli non posse; vnde hoc ipsum sole clarius elucet: in ipsa hominis mente eam repositam, ideoque virtutem omnem & legem a natura repetendam esse. Ea vero est causa, quam perorandam auctor suscepit.

— *quæ quondam nusquam erant*. Aevo sc. heroico & antiquissimo judicia nulla erant, vt ex historia Orestis, Alcmaeonis, aliorumque patet. Certis etiam judiciis hodie carent ii, qui dicuntur Barbari in America & al. locis. Nugari mihi

Turn. ad h. l. videtur de publicis Romanorum judiciis cogitans recentiori demum aevo inductis.

— *quam ut eos agitent.* Vulgatam lectionem, quæ *quam* non habet defensum iverunt Gronov. Turn. Davis. exemplis ejusmodi in medium adlatis, quale illud est apud Terentium: adeone esse hominem infelicem atque invenustum, ut ego sum? vbi post *adeo* sequitur *ut* adverbialiter & comparative cum indicativo. Verum hujus loci est longe alia ratio, neque post *non tam* sequi potest *ut* pro: *quam*. Nihil profecto a Ciceronis stilo alienius cogitari potest, quam dicere: *non tam — ut agitant*, si hæc fuit ejus sententia: „non tantas & tam graves poenas luunt judiciis, quantas a Furiis agitati.“

— *non ardent taedis.* cf. Cic. p. Roscio cap. 24. in Pison. c. 20.

— *quodsi poena, si metus &c.* Plane aurea sunt & ad totum hoc caput omnino conferenda, quæ Kant'ius in libello præclaro de genuinis agendi principiis rite exquirendis (*Kritik der praktischen Vern.*) p. 61. sqq. dicit. Quæ si cum Cicerone contuleris & ad animum tuum admoveris, profecto rectæ rationis judicium per omnes ætates immutabile atque incorruptum in te ipso deprehendas necesse est: tam plana sunt omnia & ex intimis humanæ mentis recessibus deprompta.

— *a naturæ jure aliquo.* Hujus rei plura exempla reperias in edictis eorum, qui, cum aliorum terras occupare, gentesque, quæ sui juris esse debeant, sub ditionem suam redigere velint, mi-  
rum

rum quantum se torquent, ut justam aliquam suæ avaritiæ speciem expriment; cujus generis sunt indictiones bellorum plurimæ ap. Romanos & Alexandrum, ferocitate & injustitia certe Magnum; ut recentiora taceam, quæ omnia ita sunt comparata, ut intelligere possis, Phædrum in fabula de lupo & agno vere tyrannidis mores depinxisse. Cæterum ut appareat, non tyrannos solum, sed & privatos & latrones hac calliditate uti, non alienum videtur a re proposita h. l. commemorare, quamnam suis sceleribus speciem prætexerint duo latrones, qui in ducatu Gothano facinorum suorum supplicia invenerunt. Quorum alter, nomine *Scheller* narravit, se, cum a nono inde ætatis anno in latronum societatem pervenisset, hunc legitimum sibi quæstum putasse, &, quoties rem aliquam majorem aggressurus fuisset, antea templum intrasse, conventibus sacris interfuisse, precibusque Deo causam commendasse; quod si fecisset, meliori semper successu in facinoribus suis usum esse: alter, nomine *Simmen*, cum noctu exisset, hominem, jamdiu iræ suæ devotum, interfectorum, diligenter observavit, impedimenti an sibi aliquid obviam fieret: cumque prona omnia atque expedita haberet, ut homicidium perageret, voluntatis esse divinæ arbitratus est; ex communi scilicet vulgi opinione, quæ commode & prono quasi alveo fluant, a Deo ipso destinata esse, temere atque arroganter satis decernentis. Uterque, cum a mentis conscientia factum suum damnari sentiret, tamen alicunde juris speciem quandam, qua acquiesceret, quæsit, eaque re juris reverentiam altissi-

me in nobis reconditam esse, aperte suo exemplo docuit. Monere autem utriusque ratio debet, quam caute ac religiose in præceptis de fructu & utilitate precum Deo faciendarum, atque in usu proverbiorum sententiarumque communium versandum sit. — Ad vocabula quod attinet, secutus sum conjecturam Lambini, quam Ern. etiam tenuit. Sed eam vix patitur, quod plurali numero sequitur: *quæ — colentur*: neque Davisi conjectura: *a natura aut jure aliquo* habet quo se admodum commendat. Quodsi Victorii lectio: *a natura jura aliqua* codd. auctoritate nititur, non improbable forte videatur, Ciceronem scripsisse: *ad defensionemque facinoris a natura jura aliqua quæreret*: sed displicet littera *a* toties in paucis vocabulis recurrens. Itaque certiores alii loco medicinam quærant.

— *at incauti*. Hanc multorum librorum lectionem cum Davis. recepi, non quod ejus usum h. l. pro: *sed* vel *imo* ex sermonis consuetudine plane defendi posse putem; sed quod tolerabilior tamen videtur, quam vulg. *aut*. Ern. conj. *atque* sine dubio vera est.

§. 41. *ipso honesto*. H. vertit: die Ehre an sich, quod non potest non in errorem inducere lectores versionis suæ, quasi de gloria sermo esset, ex recte factis reportanda, quæ tamen ipsa ex Ciceronis mente inter utilitates & fructus referri debet; quorum tamen rationem non habet, qui ipso honesto movetur i. e. interna & propria rei dignitate & bonitate. — Der moralische Werth — Moralität — Moralgesetz — das moralische Gute —

te —



te — plenius & verius Germanis *bonesti* notionem exhibent. Contrarium ejus est: *ipsa turpitude*, quod parum commode vertitur: die Schande der That selbst, cum potius sit: das Unmoralische — die innere Verwerflichkeit.

— *quid, in deserto loco.* temere Davif. interposuit *quo*, vocabulum h. l. omnino supervacuum.

— *natura justus vir* h. e. suæ mentis vi interna impellente & svadente, sua natura, non utilitatis respectu ductus. cf. Locus e Stobaeo ad cap. VIII. citatus.

## CAPUT XV.

§. 41. *quæ scita sint in pop.* Constructio verbi *sciscere* cum præp. *in*, quæ Ern. offendit, habetur etiam lib. II. §. 13. *sciscuntur in populis.*

§. 42. *Interrex noster — ut Dictator.* Sunt L. Valerius Flaccus & C. Sylla. cf. Cic. Agr. III. 2. Perperam movet dubia Davifius. Ex Appiano enim discas, non de re præterita solum legem latam esse, sed ad omnia eam pertinuisse, quæ Sullæ constituere placuisset. Verba ejus sunt: *ὅτι αὐτον αἰροῖντο Δικτατωρα ἐπι θεσει νομων, ὡν αὐτος ἐφ' ἑαυτη δοκιμασειε, καὶ κατασασει της πολιτειας.* p. 198. ed. Lutet. Odii atque invidiæ causa Cicero ita loquitur: *ut Dictator quem vellet civium impune posset occidere*, non quasi hoc lex expressis verbis voluisset, sed quia Sylla id sibi jam antea sumserat, & ista lege munitus impune poterat, cui nec lis nec judicium timendum esset. *Noster* autem ironiam habet non injucundam. Ipsius enim

Syllæ jussu interrex creatus hanc ipsam legem tulerat.

— *illud stultissimum est.* Quidnam tu dicas, Cicero, si audias, jus non solum oriri ex scitis, institutis, pactis populorum ipsorum, sed hanc facultatem etiam constituendi, quid juris esse debeat, certæ cuidam ætati, certo hominum generi tribui, a quo quæ constituta & decreta sint, ad omnem posteritatem rata & firma manere debeant. Hoc vero est rationis lumen extinguere, & humanæ naturæ infinitatem arctis limitibus circumscribere, imo ad inertem, qui est in brutis, instinctus immutabilitatem deprimere.

— *jus, quo devincta est hominum societas.* Non ineptum, neque a re proposita alienum videtur diversas Stoicorum & Epicuræorum de ortu & fonte societatis humanæ, & juris, quod eam contineat, sententias comparare. Illi naturali impetu ad societatis conjunctionem ferri hominem putabant, in eoque & juris & honesti originem inveniebant, qua de re loci insignes sunt in Cicerone huj. lib. §. 43. de Off. I. 4. 7. de Fin. III. 19.: hi, statuebant, homines ab initio bestiarum instar vitam solitariam & agrestem egisse, vagam venere exercuisse, de vitæ commoditatibus unguibus & pugnis decertasse; donec vitæ ferinæ piguerit, & utilitate cognita pacem pepigerint, fœdera & leges sanxerint. Horum sententiam inprimis exornarunt Lucretius & Horatius, quorum loca plenius huc adscripta legere non inutile ad rem judicandam, neque injucundum spero fore lectoribus. Lucretius de R. N. lib. V. 923, postquam  
mundi,

mundi, animalium hominumque ortum descripsit,  
 sic primorum hominum vitam rudem & incondi-  
 tam vsque ad cultioris moris initia depingit:

Et genus humanum multo fuit illud in arvis  
 Durius, vt decuit, Tellus quod dura creasset:  
 Et maioribus & solidis magis ossibus intus  
 Fundatum, & validis aptum per viscera nervis;  
 Nec facile ex æstu, nec frigore quod cape-  
 retur:

Nec novitate cibi, nec labi corporis ulla,  
 Multaque per cœlum Solis volventia lustra  
 Volgivago vitam tractabant more ferarum.  
 Nec robustus erat curvi moderator aratri  
 Quisquam, nec scibat ferro molirier arva:  
 Nec nova defodere in terram virgulta, nec  
 altis

Arboribus veteres decidere falcibu' ramos.  
 Quod sol atque imbres dederant; quod terra  
 crearat

Sponte sua, fatis id placabat pectora donum:  
 Glandiferas inter curabant corpora quercus  
 Plerumque, & quæ nunc hiberno tempore  
 cernis

Arbuta poeniceo fieri matura colore,  
 Plurima tum tellus etiam majora ferebat;  
 Multaque præterea novitas tum florida mundi  
 Pabula dia tulit, miseris mortalibus ampla.  
 At sedare sitim fluvii fontesque vocabant;  
 Ut nunc montibus e magnis decursus aquai  
 Claricitat late sitientia secla ferarum.  
 Denique noctivagi silvestria templa tenebant

H 4

Nym-

Nympharum, quibus exhibant humore fluenta  
 Lubrica, proluvie larga lavere humida saxa,  
 Humida saxa super viridi stillantia musco;  
 Et partim plano scatere atque erumpere campo.  
 Necdum res igni scibant tractare, nec uti  
 Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum:  
 Sed nemora, atque cavos monteis, silvasque

colebant,  
 Et frutices inter condebant squalida membra,  
 Verbera ventorum vitare imbresque coacti.

Nec commune bonum poterant spectare, nec  
 ullis

Moribus inter se scibant, nec legibus uti.

Quod cuique obtulerat prædæ fortuna, ferebat,  
 Sponte sua sibi quisque valere & vivere doctus.

Et Venus in silvis jungebat corpora amantam:

Conciliabat enim vel mutua quamque cupido,

Vel violenta viri vis atque impensa libido,

Vel pretium: glandes atque arbuta, vel pira  
 lecta.

Et, manuum mira freti virtute pedumque,

Consectabantur silvestria secla ferarum

Missilibus saxis & magno pondere clavæ;

Multaque vincebant, vitabant pauca latebris;

Setigerisque pares suis silvestria membra

Nuda dabant terræ nocturno tempore capti,

Circum se foliis ac frondibus involventes.

Nec plangore diem magno solemque per agros

Quærebant pavidi, palantes noctis in umbris;

Sed taciti respectabant, somnoque sepulti,

Dum rosea face Sol inferret lumina cælo.

A parvis quod enim consueverant cernere semper

Al-

Alterno tenebras & lucem tempore gigni;  
 Non erat, vt fieri posset, mirarier unquam,  
 Nec diffidere, ne terras æterna teneret  
 Nox, in perpetuum detracto lumine solis.  
 Sed magis illud erat curæ, quod secla ferarum  
 Infestam miseris faciebant sæpe quietem:  
 Ejectique domo fugiebant saxea tecta  
 Setigeri suis adventu, validique leonis,  
 Atque intempesta cedebant nocte paventes  
 Hospitibus sævis instrata cubilia fronde.  
 Nec nimio tum plus, quam nunc, mortalia  
 secla

Dulcia linquebant labentis lumina vitæ.  
 Unus enim tum quisque magis deprensus eorum  
 Pabula viva feris præbebat dentibus haustus,  
 Et nemora ac monteis gemitu silvasque re-  
 plebat,

Viva videns vivo sepeliri viscera busto.  
 At, quos effugium servarat corpore adesto,  
 Posterius tremulas super ulcera tetra tenentes  
 Palmas, horriferis accibant vocibus orcum;  
 Donicum eos vita privarunt vermina sæva,  
 Experteis opis, ignaros quid volnera vellent:  
 At non multa virum sub signis millia ducta  
 Una dies dabat exilio: nec turbida ponti  
 Aequora lædebant naves ad saxa, virosque;  
 Sed temere incassum mare fluctibu' sæpe coor-  
 tum

Sævibat, leviterque minas ponebat inanes:  
 Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti  
 Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis:  
 Improba navigii ratio tum cœca jacebat.

Tum penuria deinde cibi languentia letho  
Membra dabat; contra nunc rerum copia  
mersat:

Illi imprudentes ipsi sibi sæpe venenum  
Vergebant; nunc dant aliis solertius ipsi.

Inde casas postquam ac pelleis ignemque para-  
runt;

Et mulier conjuncta viro concessit in unum;  
Castaque privatae veneris connubia lata  
Cognita sunt, prolemque ex se videre creatam:  
Tum genus humanum primum mollescere  
cœpit.

Ignis enim curavit, ut alia corpora frigus  
Non ita jam possent cœli sub tegmine ferre;  
Et venus imminuit vires; puerique parentum  
Blanditiis facile ingenium fregere superbum.

Tunc & amicitiam cœperunt jungere habentes  
Finitima inter se, nec lædere nec violare;  
Et pueros commendarunt muliebrique seclum  
Vocibus & gestu, cum balbe significarent,  
Imbecillorum esse æquum misererier omnium.  
Non tamen omnimodis poterat concordia  
gigni;

Sed bona magnaue pars servabant fœdera casti:  
Aut genus humanum jam tam foret omne  
peremtum,

Nec potuisset adhuc perducere secla propago.

At varios linguæ sonitus natura subegit  
Mittere; & utilitas expressit nomina rerum

Non alia longe ratione, atque ipsa videtur

Protrahere ad gestum pueros infantia linguæ,

Cum

Cum facit, vt digito, quæ sint præsentia mon-  
stret:

Sentit enim vim quisque suam quam possit  
abuti.

Horatii locus est Satyr. I. 3. a versu inde 96.  
vbi, cum Stoicorum dogma: *paria esse peccata*,  
impugnare velit, ipse, qui alias Stoicorum de vir-  
tute præcepta magis probet, sed nullius tamen ad-  
dictus jurare in verba magistri, jam Epicuri vesti-  
gia legit in constituendo juris ortu & principio,  
eamque sententiam & monumentis historiarum &  
communi sensu confirmari putat:

Queis paria esse, *inquit*, fere placuit peccata,  
laborant,

Cum ventum ad verum est; sensus moresque  
repugnant,

Atque ipsa utilitas iusti prope mater & æqui.

Quum prorepserunt primis animalia terris,

Mutum & turpe pecus glandem atque cubilia  
propter

Unguibus & pugnis, dein fustibus, atque ita  
porro

Pugnabant armis, quæ post fabricaverat usus:

Donec verba, quibus voces sensusque notarent,

Nominaque invenerere, dehinc absistere bello,

Oppida cœperunt munire & ponere leges:

Ne quis fur esset; neu latro; neu quis adulter.

Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli

Causa; sed ignotis perierunt mortibus illi,

Quos, venerem incertam rapientes more fera-  
rum,

Viri-

Viribus editior cædebat, vt in grege taurus.  
 Jura inventa metu iniusti, fateare necesse est,  
 Tempora si fastosque velis evolvere mundi.  
 Nec natura potest iusto secernere iniquum  
 Dividit vt bona diversis, fugienda petendis.

Vterque poeta in eo consentiunt, fuisse aliquando hominum vitam & statum ferinæ similem, quo ab omni cum aliis conjunctione alieni sua tantum curassent, nihil præterea ad se pertinere putassent, donec sermonis usu & utilitate perspecta \*) societatem, pacta legesque constituerint. Hunc esse originem juris non ex naturæ aliquo jussu & impulsu sed ex fortuita hominum voluntate deducendi. Hanc fere sententiam adoptavit superiori seculo Hobbesius Anglus, in quo refutando philosophorum libri occupantur. Hoc loco ea notasse sufficiat, quæ non ad totam quæstionem profligandam pertineant, sed meditationem de re tam gravi ac subtili excitent atque adjuvent. Ac primo quidem juris legumque verbis concipiendarum initium ab orta demum hominum societate deducendum esse, quæ sine illis nulla foret, ideoque utilitatis in his rationem habitam esse, de eo quidem dubium esse non potest ei, qui, ad quæ Horatius provocat, tempora fastosque mundi velit evolvere. At unde prima de societate incunda cogitatio generata, unde  
 pri-

---

\*) Quæ huc pertinent verba Lucretii, ad ea, quæ e tertio Cic. libro de magistratibus excerpentur, excitata reperies.



prima justi alicujus vel injusti notio homini in mentem venerit, de hac quæstione ex historiarum monumentis decerni non potest, quæ ab hominum demum cultu per societatis mutua auxilia inchoato incipiunt, de primo ejus ortu nihii habent, quod referant. Altius igitur res repetenda est. Ad sermonis inventionem & utilitatis respectum primam societatis originem revocare velle nihil est, nisi verborum ambage ludere. Nam nec sermo exprimi potest absque mutua hominum inter homines conjunctione; nec ratiocinatio ista, quæ ad utilitates computandas, ad fœdera & pacta sancienda deducere poterat, nisi exulta quodammodo & subacta ratione, locum habebat: an excoli autem possit ratio absque societatis quodam vinculo & confortio, merito dubitatur. Ne igitur ad eadem principia in orbe quasi recurras, dicendum omnino est, a natura ipsa menti hominis insitum esse stimulum quendam, qui naturæ vi ad societatem cum aliis sui generis ineundam impellat. Quodsi enim defatigatio quædam bellorum & pugnarum, tædiumque vitæ asperæ ad mitiorem vitæ cultum, in plurimum tranquilla conjunctione quærendum, impellere potuit, cur non & inter tigres & leones tandem oritur civilis conjunctio? cur non & illos qui forte quadam in silvas ejecti a teneris solitudini ac vitæ ferinæ adveverant, illius unquam poenituit ac tæduit? Nonne exempla istorum miserorum satis probant, se omni modo vitam humanam fugisse, ferinam & solitariam omni studio repetisse? Pari autem conditione vsi fuissent ii omnes, qui in vitæ solitariae ac vagæ consuetudine adolevissent. Nunquam  
pro-

perfecto hos cultus agrestis, habitusque ferini piguisset: nunquam in societatem fœderibus & pactis coissent: nunquam ad sermonis usum pervenissent. Tantum est a teneris advescere! Unde igitur repetamus primum societatis ineundæ studium vel potius stimulum?

Scilicet a naturali conjunctionis appetitu & studio erga eos, qui procreati sunt, non generatur iste quidem, at primum quasi impetum, *ὄρεμν*, capit naturalis ille erga hominum societatem amor, qui in recta ratione i. e. in lege bene atque humanæ naturæ convenienter vivendi inest, ab eaque continetur. Quæ enim esset illa lex recta imperans vetansque contraria, si solitarii in silvis viveremus? Quænam materia, qui locus, quod Theatrum virtutis esset? Quodsi igitur ratio nobis a natura tributa est, certe etiam, eadem natura agente atque impellente, ad societatis conjunctionem ferimur, quæ ut sine ratione & lege nulla est, ita nec ratio nec lex sine societate habet, quo referatur, ubi virtutem suam exserat. Mirabiliter igitur natura, ut opus institutum juvaret atque ad perfectionem produceret, connubiorum conjunctionem primam esse voluit, \*) in quem quasi fomit-

---

\*) An vero vagam in homine venerem, quæ vel mercenaria etiam, si diis placet, ex Lucretii sententia, jam ante sermonis vitæque consuetudinem fuerit, unquam obtinuisse credamus?

cum

tem cum incidisset divinus ille rationis igniculus, non restingueretur statim, sed primo subsisteret & permaneret in eo, quod semel iniisset, connubio, amorisque & curæ pietatem ultra necessitatis terminos extenderet; unde mutua etiam ab iis, qui prognati essent, amoris conjunctio oriretur & per totam vitam duraret. Quod longe aliter est in bestiis, in quibus, qui post partum deprehenditur naturalis amor, paucis mensibus exactis, postquam pulli ipsi pabula quærere didicerunt, desinit, nec ullum pietatis vestigium relinquitur: idemque fere, puto, accideret, si hominum etiam ex sola utilitate societas concilianda esset. Sed in his a prima statim infantia humanitatis germen pullulat; quod cum altius radices egit, ea, quæ inter parentes & liberos inchoata est, hominum inter se conjunctio, ad consanguineos alios, cognatos & affines propagatur, atque in hujus conjunctiois cum ortu, tum auctu & progressu plus deberi videtur humanæ mentis proprietati atque indoli quam utilitatis cujusdam ponderationi. Inde fit, ut nulla fere ætas sit, \*) quæ ejusmodi conjunctioem ignoret,

---

cum in bestiis etiam nonnullis maris cum femina arctior conjunctio ac diuturna locum habeat?

\*) Hujus rei testimonia exhibent Moses, & antiquissima etiam Græcorum Mythologia, quæ, licet fabulosa sit, tamen primitivæ hominum vitæ vestigia ostendit. Ipse Lucretius mitioris

ret, sed ab antiquissima inde hominum memoria connubiorum, domuum, familiarum reperiantur consociationes; in quibus tamen paullo longius substitisse videntur homines, priusquam ad eas transirent, ad quas ineundas non solus humanitatis sensus, sed utilitatis & commodorum diligens consideratio impellere deberet: ut plures scilicet familiae in unum pagum coirent, unam civitatem constituerent, & populi unius nomen invenirent, communi quodam imperio cohaerentis.

Qui in hoc priori & simplici societatis gradu morantur, rudes illi quidem atque inculti, at non barbari, feri, immanes nominandi sunt: utuntur enim simplici & genuina lege naturae, & imperio patrumfamilias, non ad imperantis libidinem, sed ad eorum, quibus imperatur, commoda & salutem instituto atque accommodato. Postquam autem aliae aliis familiae collisae sunt, & contentio inter eas orta est, de praeda, de victu communi sive de aliis commodis, quae utraque adipisci non posset; tum discordiae, rixae, odia, dissidia enata sunt, & bellum illud omnium contra omnes; quod tantum abest, ut pro statu hominum naturali haberi debeat, ut tum demum oriatur, cum plures hominum societates, quas primus naturae impetus singulas conciliaverat inter, se concurrant, & libidinum errore  
im-

---

ris hominum cultus initia a fido connubio repetit. l. c. vers. 1010. neque Dionysii Hal. iudicium spernendum videtur lib. II. cap. 71.

impeditæ atque occæcatæ non statim expediant rationem, qua fieri possit, vt juribus & commodis suis non abjectis, aliorum tamen conjunctionem & vicinitatem ferant. Vnguibus igitur & pugnis, dein fustibus & telis aliis congregiuntur, cæde & bellis delectantur, assiduitate præliorum & contentionum efferantur, ac jam vero nomine barbari & immanes appellantur. Hac tamen tam tristi & seuera disciplina hominem natura eo adducere voluisse videtur, vt ne placidi illius domestici status tranquillitate delinitus desidiæ nimium indulgeret, atque inertia situ corruptus præstantissimas animi dotes labi sineret & perire; sed domo sua exiret, atque totam humani generis universitatem caritate complecti disceret. Gravi igitur veterano plurimum concursu familiarum excussum, tamdiu armis & bellis se exercuit rude hominum genus, donec perpetua cæde, odio, metu defatigatis, tandem, quasi domesticæ pacis & societatis recordatus, aliquis sapientior, cui de meliore luto Titan præcordia finxerat, an ad istius exemplar major societas iniri & firmari possit, cogitaret &, vt ejus rei periculum facerent, suos & auctoritate & orationis facundia adducere studeret. Jam pactis & foederibus res agebatur: leges & jura constituebantur, quibus & vitæ & facultatibus hominum consuleretur. Tum etiam utilitas quam maxime in censum veniebat; sed tantum abest, vt iusti mater & æqui inde merito dici possit, vt potius jus & fas ejus opera omnino perversa esse profitendum sit. Victor enim pro arbitrio eas leges sanciebat, quæ ad habendi aviditatem & ad impe-

I

randi

randi libidinem essent aptissimæ; victus autem præsentis rerum conditione acquiescere, jugum impositum in lucro ponere, & quæcunque sibi jura relicta essent, ea victoris, gratiæ & liberalitati accepta referre debebat; tristi utilitatis & necessitatis ratione coactus, ne omnia proderet, atque internecio & perniciis omnino sequeretur.

Id tamen boni ex civitatum majorum & regnorum constitutione emergebat, ut societate hominum amplificata largior vitæ excolendæ, ingenii exercendi, animi fingendi, artiumque inveniendarum materia esset & occasio, quibus rebus adjuti homines ad altiora subinde progredi & ad perfectionis suæ finem tendere debent.

Sed cum non firmo veritatis fundamento niterentur, quæ constitutæ erant leges, verum utilitatis tantum cujusdam incertæ & dubiæ ratione cohærerent, mox, ista mutata, civitatum regnorumque everfiones secutæ sunt; seditiones & nova bella exarserunt, quæ hunc fere exitum habuerunt, ut vel novam omnino civitatis formam inducerent populi, quæ magis singulorum jura tueretur, quam paucorum utilitatem reliquorum damno augeret; vel ad pristinum jugum, gravius etiam nova victoria factum, reverterentur. Qua ratione cum aucta esset victorum potentia & regum dominatio, etiam ii, qui libertate sua ad tempus usi fuerant, vel invidia atque æmulatione finitimorum, vel civium etiam libidine abrepti, exagitati, everfi atque in aliorum potestatem redacti sunt. Hæc fere est historia regnorum, rerumpublicarum, civitatum,

po.

populorum legumque ab iis inventarum; eademque ejus facies manebit, dum fortuna & casus & utilitas temporaria in constituendis legibus & ordinandis civitatibus magis regnabunt, quam ratio & jus, humanæ naturæ ita insitum, ut ab ea sine pernicie ipsius humanitatis divelli non possit. Quæ vero an unquam in juris legumque constitutione constanter regnatura, neque unam solum civitatem, sed totum terrarum orbem felicitatis & virtutis sedem dignissimam effectura sit, quis hoc rerum humanarum non ignarus affirmare audeat? Profecto ista spes concipienda non est, dum altera ex parte obsequii humilitas & adulandi vilitas, ex altera imperandi libido & dominandi superbia, quæ communia & publica esse debent commoda, ea ad se pertrahet, iis tanquam privatis utetur, & quæ cæteris accesserint, pro damno ac jactura habebit. Libido enim atque invidia, teterrimæ humani generis pestes, pace illud frui non sinunt; sed cum eas civitates, quæ sua libertate & æquis florebant legibus, tum eas, quæ ab uno regebantur (serius has quidem, quia minorem invidiæ\*),

ma-

---

\*) Invidia enim facilius acquiescit in eommodis, quæ uni, quam in iis, quæ præter se pluribus contigerint, quibus ipse par atque æquali jure censendus videatur. Spes etiam amplior & facilior patet, uni, quam pluribus, obsequio & blanditiis adrependi, eoque pacto aliquid in suam rem derivandi. Præ-

majorem autem ambitioni & adulationi occasionem præbent) suo tempore perturbant & evertunt.

Tristem hanc humani generis fortunam exacerbant ii, qui in constituendis civitatibus & legibus ad naturæ & humanitatis jura recurrere ventant, & vel ea, quæ semel sancita sint populorum jussis, in æternum rata et firma haberi jubent; vel, si quid mutandum sit, experientia magistra utendum censent; quæ tamen nil nisi aut fallaci utilitatis specie ludit, aut alia omnia, quam quæ volebant illi, comprobant. Num vero semper fortunæ & casui nos nostraque committamus? nonne, quantum fieri possit, fortunæ temeritati nos aliquando subducere fas sit, cum nimis tamen multa ejus arbitrio committenda sint, nec quidquam, quod proprium & nostrum dici haberique possit, præter rationem, restet? Quidni igitur ea in constituendis legibus utamur, quarum justissimo imperio & honeste & sancte & beate vivamus?

Nonne vero exempla eorum, quorum leges imprimis laudatæ sunt, e quorum numero duos nominasse sufficiat, Solonem & Fridericum eum, qui unus sapiens appellari meruit, satis demonstrant, rerum naturæ, non veteri vitiosæque con-

sve-

---

terea metus atque inertia, certiores tranquillitatis publicæ, quam sapientia, custodes, unius dominationi fidelius, quam communi omnium libertati adhærent.



svetudini adhærendum esse, si leges probabiles homini promulgare velis. Quid Americæ fœdus commemorem, quod certe legibus ex æquitate & rerum natura depromptis & ad humanæ mentis vim & dignitatem accommodatis magis floret, quam jure quodam ex casu aut consuetudine pristina temere enato; & florebit, donec bellis gravibus & diuturnis imperandi cupiditas & vincendi atque expugnandi libido incensa fuerit, quæ ab exteris & hostibus exorsa, successu luxurians, ad cives deinceps progrediatur, & in ipsius reipublicæ viscera desæviat. Quæ fors admodum tristis utinam diutissime absit a felicissima ista republica! Bella enim, expugnationes, victoriæ splendidam quidem & magnificam reddunt civitatem; at legum æquitatem, civium libertatem & felicitatem minuunt, morum corruptionem, veritatis & humanitatis neglectum inducunt. Tyrannorum itaque, paucorum dominationis, multorum oppressionis incunabula sunt. Quare civitatis principes vel reges, nisi suæ magis potentiæ, quam civium salutis cupidi sunt, omnia prius tentare, quam bella suscipere debent: neque in republica bene constituta jus, quod dicitur, belli & armorum, uni facile concedendum est. Omnino tamen, dum bella & capitis supplicia inter homines necessaria erunt, aut putabuntur certe, non est, quod gloriemur admodum de insigni humanitatis atque eruditionis cultu, quo tam mire se jactat nostra ætas. —

Verum ne longius evagari videar a reque proposita aberrare, revertor illuc, unde exorsus

sum. Nempe Epicurum dixi in primis auctorem fuisse juris a pactis & foederibus, utilitate svadente initis, repetendi. Ad ejusdem, quæ huc pertinent, *κυριας δοξας* pauca notabo. Istæ sunt in primis tres, nempe: 34, 35, 36. ap. Diog. Laert. X. 150, quarum reliquæ fere consuetaria continent. Harum autem hæc est sententia: I) „Quod „natura justum dicitur, non est nisi pactum, quo „utilitate svadente convenit, vt alter alterum ne „læderet.” Antea monitis equidem hæc addo: Num ergo omnia pacta justa sunt? an, si sensus communis obtinet, esse alia justa, alia injusta, num alio pacto opus est ad constituendum quænam pacta justa habenda sint? Vnde autem ipsorum pactorum & foederum fides & sanctitas repeti debet? ab alio scil. pacto. Vnde autem hujus pacti religio sanciat? — Nonne vides, nisi continuis pactis in infinitum fingendis ludere magis, quam philosophari, velis, ad vim quandam justitiæ propriam, ad rationem menti humanæ insitam recurrendum esse?

II) „Quæ animantes foedere jungi non possunt, inter eas nec jus esse nec injuriam: eandem „esse in iis gentibus rationem, quæ foedere jungi „aut noluerint, aut nondum potuerint.” Ad prius quod attinet, hoc quidem inter omnes convenit, nec inter bestias ipsas, nec inter hominem & bestias mutuam esse posse justitiam, quia illæ ratione non gaudent. Hominem tamen justitiam etiam adversus bruta servare debere, vt ea non sine gravi causa vel vita privet, vel doloribus afficiat, sed iis parcat, quæ propria earum dici possunt,

sint,

sint, & omnino vitam & salutem naturarum vivarum augeat potius quam destruat, suus quemque sensus docet. Ista autem officia ex ipsa humanitate & rationis lege fluunt. Quod autem inter eas gentes, quæ fœdera inire vel noluerint, vel non potuerint, nec jus nec injuria locum habeat, quis, nisi immanitate efferatus & barbarus, Epicuro concedat? Quis est, qui non damnet Hispanorum erga miseros Americæ populos crudelitatem, ex illo Epicuri dogmate minime injustam? Ipsi tamen Hispani non ideo se illis pro arbitrio suo abuti posse putabant, quod fœdera nunquam antea inter eos inita & conclusa essent, sed, quia Christiana illi religione non uterentur: id vero non minoris eo tempore momenti erat, ac si nunc diceres: non esse veros homines pari ac nos ratione utentes, quibuscum ideo paria jura esse non possint; ut nuper, cum de servis ex Africa non amplius abducendis agi cœpisset, ad defendendum illud fœdum atque immane commercium ab iis etiam, qui philosophi dici volebant, disputatum est: Nigritiæ populos non eadem, ac Europæos rationis facultate, nec pari humanitatis indole frui, ideoque meliori fortuna non dignos, nec si eandem habeant, beatiores fore. Dignam vero Philosopho sententiam! Vulgi quidem ea est opinio, ut, qui non eodem cultu & sermone utuntur, æquali erga eos jure se teneri non putet: unde illa erga Judæos licentia, & decori erga peregrinos, præsertim si lingua diversi sint, neglectus derivandus videtur. Forte etiam furandi studium in pluribus exteris & recens cognitis populis sæ-

pius vituperatum; plurimum odium erga quosvis peregrinos; imo omnium fere, cultissimorum etiam, Europæ populorum in exteras & terras & gentes crudelitas & sæva immanitas, quæ nostro seculo vix aliquantulum deminuta videtur, ex simili errore originem duxerunt. Hic autem error in omnibus, quæ commemoravi exemplis non tam in eo latere videtur, quod pacta nondum inire potuerint inter se illi populi, sed in eo potius, quod morum dissimilitudo & sermonis diversitas a rationis conjunctione eos segregare videatur. Cum enim, ut recte Cicero, in rationis conjunctione, legis atque juris societas insit, sermo autem certissimum rationis argumentum contineat, tum eos etiam a juris societate remotos putat improborum stultitia, quos sermonis simul et rationis facultate differre a se suspicatur. Tantum igitur abest, ut, quæ ratio atque experientia suppeditant argumenta, pro Epicuri dogmate pugnent, ut potius id confirment: etiam erga ignotos & remotissimos populos jus esse, neque illud a pacto, sed a ratione, solo & unico omnis justitiæ fonte, repetendum esse.

III) „Justitiam per se nihil esse, sed adcommodioris consuetudinis usum pactis constitutam esse; ideoque injustitiam non per se sed propter poenarum metum vitandam.” Ad hæc post ea, quæ super hac re dixit ipse Cicero nihil addendum videtur.

§. 43. *ad diligendos homines: quod fundamentum juris est.* Simile hoc juris fundamentum est ei, quod Christus etiam posuit ap. Matth. XXII,

37-40. Non immerito igitur Cicero supra §. 33. sqq. hanc naturalem ad alios diligendos propensionem tertium juris fontem constituit.

— *quam qui ignorat.* Antiquissimorum hominum simplicitas recte intelligendi cogitandique sollertiam a bene atque honeste agendi voluntate non tam certis limitibus separavit, quam quos postea fraus & versutiæ hominum in vitam introduxerunt. Ut vno exemplo defungar, apud Hom. Od. γ. 328. a Menelai prudentia conclusio derivatur, eum mendacio vsurum non esse: ψευδος δ' οὐκ ἐρεει· μαλα γὰρ πεπνυμένος ἐστίν. Quem loquendi vsus cum sermo teneret, nec philosophi, præcipue Socrates & Plato, omnino respuerunt; & sane humanitate est dignissimus: qui enim alius est virtutis fons quam veritatis? quæ si pure colitur, nec fraudum calumniis obscuratur, est virtus ipsissima. Unde factum est etiam, ut Socrates, cui tota vitæ & agendi ratio in veritate niteretur & incorrupto animi iudicio, soli cognitioni atque intelligentiæ justo plus, nostro quidem sensu, tribuerit e. g. ap. Xenophontem Mem. IV. c. 6. Qui tamen, si ad suum modulum revocetur, non adeo ineptus videri debeat. Non male igitur Cic. vocabulo ignorandi h. l. emphatice vtitur, ut simul cum ignorantia juris neglectum ejus & incuriam includat.

— *Sed etiam in Deos cærem.* Quod in hominum vita sæpe occurrit, ut summum jus summa injuria sit, hoc etiam in auctoribus explicandis accidere solet, ut summa Grammatices ἀκριβεια sum-

summam auctori injuriam adferat. Verum quidem est, vocab. *cæremonia* sequente præpositione *in* apud scriptores insolens esse: attamen, quod Ernesti'us hac re commotus post *Deos* interpunxit, quia *in Deos* cum sequentibus coire non possit, pendeatque ex *obsequia*, id certe est injuriam adferre Ciceroni. Quam enim hiulca & lacera exit oratio, quam salebrosa: cum inter *Deos* & *cærem*. abrupta omnia sint? Deinde vix satis commode *obsequia* in medio interpositum videtur, quæ vox, si id sensisset Cicero, quod vult Ern. vel antecedere vel subsequi debuisset. Tum vero vocabulum *obsequia* in ista conjunctione omnino aberraret ab usu Ciceronis & bonorum auctorum, quem tam egregie explicuit Clavis. Obsequium enim s. indulgentia & gratificandi studium hominum erga Deos rite cogitari non potest. Maneat ergo antiqua interpunctio & *in Deos* cum seqq. *cærem. relig. toll.* jungantur, quod ut admitteret Cicero, ideo factum videtur, quia antecedit *obsequia in* homines, cui facillime accommodare se potuit sequentium constructio, præsertim cum vocab. *cæremonia* & *pietatis* similis sit significatio, similem igitur utrumque constructionem libenter admittat.

## CAPUT XVI.

§. 44. *nobis notas res efficit.* Locus corruptus, cui certam medicinam adferre nemo poterit. Equidem sic constituerim lectionem: *nam & comm. intellig. quæ (in) nobis notiones rerum efficit,* (cf. de Fin. III. 16. & de Legg. I. 9.) *eandem in animis nostris inchoavit, ut cet.* Sensum certe hunc

hunc esse, res ipsa clamat; plurima autem crassissima librariorum negligentiae exempla a temeritatis crimine talem in tali loco conjecturam vindicant. *Inchoavit* recte, puto, se habet, licet sequatur: *ponantur*, quod ad praesentem hominum cogitationem & sententiam referendum est.

§. 45. *Quis prudentem — non ex ipsius habitu cet.* Huic Ciceronis sententiae non repugnat, quod interdum fieri solet, ut eventu demum iudicemus, an prudenter & sapienter res gesta sit. Id scilicet tum accidit, cum nos rerum rationes non satis perspicimus; at, postquam exitus comprobavit consilia, tum sapientem eum & catum merito praedicamus, quem ea, quae nos fugiebant, multo ante providisse, & consiliis suis adjuvasse arbitramur. Prudentiae itaque vim in ipso hominis ingenio, non in re quadam externa quaerimus.

— *quod certe in natura est.* Si quod verum est, ad totum hoc referri debet *esse perfectam rationem.* Id vero in natura esse, sub finem cap. IX. probatum dedit. cf. etiam Tusc. V. 13. ubi simile: absoluta ratio, quod est idem virtus.

## CAPUT XVII.

§. 46. *Nos ingenia juvenum.* Malui audaciae crimen subire, quam verba exhibere sano sensu carentia, aut locum desperatum simpliciter omittere. Vulgata lectio est: *Nos ingenia juvenum non item ad ingenia: naturae virtutes & vitia, quae existunt ab ingeniis, judicabuntur? an ea non aliter? honesta & turpia non ad naturam referri*  
ne-

*necesse erit?* Non equidem contenderim (quis autem hoc possit) Ciceronis me genuina verba investigasse: at hoc, puto, patet ex sermonis contextu & consilio, hanc esse sententiam, quam explicatam dedi. Qui codicum variationes doctorumque virorum emendationes cognoscere cupit, is adeat Davisium.

— *Quod bonum est; in se habent, quod laudatur, necesse est.* Orditur novam argumentationem, quæ facili hoc syllogismo includi possit: Bonum & Malum cum Honesto ejusdem est originis: Bonum autem & Malum ad naturam referri debet: Ergo Honestum etiam ad naturam referendum est. Propositionis (s. Majoris) approbatio est in verbis: *U ea sint principia naturæ, quæ quid sibi velint plenissime discitur ex Cicerone ipso: Fin. III. 5-7. II. 14. de Off. I. 4.* Turnebus, quæ a Stoicis dicantur principia naturæ, aut non recte percepit, aut paullo obscurius rem explicuit. Quod enim dicit: „Bonum & malum omnis laudis, virtutis, officii, honestatis, contrariorumque principia esse, eaque naturæ, non opinionis nec judicii:” id in eam sententiam accipi possit, ac si boni malique respectus pro fundamento sit, cui virtus, officium atque honestum innitantur: id quod cum omnino disciplinæ Stoicorum repugnat, tum vero imprimis locis ex Cicerone antea laudatis, in quibus id agitur, vt, quibusnam gradibus homo, necessitates vitæ appetendo, se suaque diligendo & conservando, ordinis ac decori cognitionem acquirendo ad sapientiam denique perveniat; quæ, icet ex illis naturæ principiis atque elementis  
quasi



quasi evoluta, ab iis nutrita & confirmata sit, tamen per se sibi constet, & cum sua virtute adoleverit, carior fiat homini & pluris æstimetur, quam ipsa illa initia, a quibus profecta sit. Virtus & sapientia quasi flos quidam vel fructus est, ad quem naturæ vi in lucem producendum radicibus, trunco, ramis, foliis opus est, quæ humores nutrimenti causa ex terra vel aëre attrahant, & fructui generando idoneos reddant: flos tamen vel fructus propria naturæ fabrica procreatur, sua vi constat, & cum adest, suo pretio æstimatur, neque radicum, foliorum, trunci ratio ulla habetur. Id, puto, volebant Stoici: eodemque jam breviter alludit Cicero, vt hoc inferat, a minori ad majus concludendo: cum bonum, cujus quasi radicibus nutriatur & emergat honestas, ad naturam referendum sit, ad eandem certe ipsam quoque referri debere. Assumptionis, (s. minoris propos. bonum scilicet & malum ad naturam referri debere) adprobatio: *quod bonum est, in se habeat, quod*

---

\*) Hoc loco non possum, quin notem Senecam, qui a vera Stoicorum sententia longius recedere videtur, dum Epist. CXX. vt, quomodo ad nos honesti notitia pervenerit, explicet, analogiam quandam in auxilium advocat, quæ materiam quidem, quam tractet virtus, suppeditare, ipsam autem virtutis honestique notionem nunquam elicere & gignere posse mihi quidem videtur.

*quod laudetur, necesse est:* e boni notione desumpta est, quæ vulgaris quidem non est, at non minus tamen, puto, vera, si nempe *bonum* ab eo, quod *utile* vel *jucundum* sit, satis distinguere velis. Nemo profecto *bonum* id dixerit, cujus eum pudeat pigeatque: internus quidam sensus arctissimum boni cum honesto vinculum declarat: unde quatenus quodque bonum habetur, eatenus etiam honestum haberi solet. cf. Plat Alc. I. p. 28. sqq. qui si hoc respectu & suo consilio censeatur, non adeo dignus videbitur objurgatione. Subtilius de comparatione utilis cum honesto differuit Garve ad Cic. de Off. lib. III. in. Porro argumentum hoc ex genuina boni notione desumptum confirmatur communi de iis, qui beati putantur, judicio, qui non opinionibus, sed natura habentur. — Cæterum ratiocinatio ista: *quod bonum est*, cet. alio consilio adhibetur a Cicerone de Fin. III. 8. Tusc. V. 15. nempe vt bonum idem cum honesto esse demonstret: quæ loca qui contulerit, is veniam, spero, dabit, omissi vocabuli *laudabile*, quod in omnibus libris locum suum ante *bonum* invito certe, si quid ego video, Cicerone occupavit. Tam in illis, quam in hoc, qui sub manibus est, loco, de *bono* simpliciter orditur argumentationem atque ad *laudabile* & *honestum* rationem concludendo procedit. *Laudabile* autem *bonum* nihil aliud est, quam ipsum *honestum*. Verbis igitur inaniter iussit Cicero, si sic rationem concludere voluisset: „Omne honestum (id vero est bonum „laudabile) in se habeat, quod laudetur necesse est: „(i. e. sua natura laudetur, & ad naturam referatur) „ergo

„ergo & honesta ad naturam referenda sunt.”  
 Quo quid potest cogitari inanium & stultius? Quænam glossatoris ineptia hoc vocabulum intruserit, exquirere non juvat. Satis est rem ipsam illud repudiare.

## CAPUT XVII.

§. 47. *Sed perturbat nos opinionum varietas.*  
 Ista opinionum varietas fecit, ut multi in eam cogitationem inciderent: ex populorum fortuitis institutis, legibus, educatione atque arbitrio ortum esse jus; quod igitur non per se constat, sed ex fortuna, casu atque hominum libidine pendeat, i. e. nullum plane sit. Ex qua sententia prono alveo fluit, id solum bonum esse & justum, quod tempori conveniat, virumque bonum eum esse, qui tempori inservite & moribus institutisque hominum, quibuscum vivat, accommodare vitam suam possit; aut, si horum oculos animæaversio- nemque effugere detur, pro lubitu suo agat etiam, nec tamen peccasse putandus sit, quomodocunque tandem vitæ rationem instituerit. His præivit imprimis Sextus Empiricus, qui (Pyrrhon. Hyp. III. 24.) multus fuit incolligendis & comparandis diversissimis populorum institutis, ut hoc adfereret: non plane certum esse, nec in natura positum, quid fas, quid nefas, quid justum, quid non, habendum sit; sed ad casum atque opinionum commenta omnia redire.

Huic sententiæ, quæ vitam hominum confundit, animum corrumpit, virtutem ac religionem omnem evertit, paucis ad ea, quæ Cicero ipse  
 tam

tam clare & perspicue docuit, additis, occurrere opus videtur. Principio quidem in tanta opinionum turba, in his errorum tricis, hoc tamen sole clarius elucet: haberi sane aliquid, qualecunque tandem illud sit, rectum & justum, neque omnia paria censer; paremque constitui inter rectum & pravum, justum atque injustum diversitatem, atque eam, quæ dulcia ab amaris, lenia ab acribus discernat. Tam longe enim absunt inconditi & barbari populi ab eo errore, ut quæcunque vel utilia, vel consuetudine sancita sint, justa & recta habeant, ut potius sæpe in ore iis sit: „fas quidem hoc non est, nec justum; at moris est, omnesque ita vitam instituerunt; stultum igitur sit, ab omnium consuetudine discrepare & contra stimulos calcare velle.” Quod improbissimorum licet hominum decretum hoc tamen aperte declarat, ex infinita fere opinionum diversitate vim certe internam & characterem justæ rectique proprium apparere, qui nec fraude vel dolo deleri, nec ullis errorum tenebris opprimi possit. Contraria licet pro justis habeant homines, ipsa tamen justæ notio elucet & tanquam in mente hominis naturaliter insita constanter se tuetur.

Inde porro fit, ut, rectum & justum quod quis putet, multo acrius defendat, quam utilitatem. Hæc enim non tam penitus ad eum pertinere videtur, quam id, quod interiorem naturæ ejus & sanctiorem vim constituit, jus fasque. Quæ enim bella acriora & sæviora iis, quæ de opinionibus orta sunt & gesta? In quibus magis ad interneccionem pugnatum est, quam in iis, quæ  
de

de religione aut libertate gesta sunt? Historia omnium temporum id probat & confirmat. Non tanto studio pro aris & focis pugnatur, quanto pro opinionibus & decretis: imo non tam incredibilem pertinaciam pro aris & focis pugnaretur, nisi in hoc ipso inesset justitiæ cogitatio, quæ fundamentum etiam illius phræseos constituere videtur. Non enim dicitur: pro agris, pro domibus, pro opibus, in quibus tamen omnis utilitas & commoditas vitæ est; sed ea tanquam potiora nominantur, quæ ad usum vitæ proprie quidem non pertinent, at sanctitatis & justitiæ vim ad animum propius admovent. Amor etiam ille patriæ & studium singulare, quod patriam unice spectat & diligit, nihilque carum habet, quod pro ea non lubenter devoveat, non tam in commodis nititur, quæ ad vitæ usum, ad victum atque cultum præstat patria, quam institutorum quadam sanctitate, vivendi libertate, jurisque & legum æquitate: quæ cum hodie per totam fere Europam paria sint, cum religio christiana dominetur vbique, eademque fere leges, & instituta æqualia, cultiorem Europam obtineant; non est, quod tali quisquam studio natale solum colat & vereatur, quali olim incendebantur, qui Deos sibi terræque, in qua nati erant, consanguineos & domesticos putabant; jus quo uterentur, solum verum & humana natura dignum censebant; libertate autem, quæ sola hominem a brutis discerneret, se beatos efferebant. Præ his paupertatem, coeli solique asperitatem, rerumque inopiam, pro nihilo habebant; imo eo magnificentius se jactabant, quod, sua libertate &

K jure

jure æquo fruentes, ea contemnere possent, quæ aliis eximia & præclara viderentur. In libertatis autem cogitatione, quæcunque tandem ludicra & futilia hominum stultitia & vanitas admisceat, eminent notio juris, quod hominem alterum altero abuti, ejusque vires aut opes pro arbitrio in suam rem convertere vetat. Id vero est principium juris naturæ, quod tam alte inhæret menti humanæ, ut illud non arte elaboratum aut edicto quodam arbitrario institutum facile agnoscas. Ideo multo etiam facilius homini persuadeas utile esse aliquid, quod noxium putaverat, quam justum, quod injustum ei visum erat & repertum.

Quæ autem notio ita interioribus mentis recessibus insidet, ut in ea vis naturæ ejus & illa præstantia cernatur, qua una bestiis antecellimus, quin omni naturæ vi superiores, ipsi actionum nostrarum arbitri, domini, judices sumus: quæ notio tam late per genus humanum vulgata est, ut nulla gens sit, quæ non, etsi Dei nomen ignoret, hujus tamen ignara & expers non sit: hanc inter opinionum commenta & vana humanæ stultitiæ ludibria referre velle, idem fere sit, ac si solis ardorem camini incendio flagrare statuas.

Justi porro rectique idea vel sensus, fons virtutis, quæ hominem, quantum fas est, Deo aequat, omnium, puto, consensu, si adsit, ea habeatur, cui summæ in tota rerum natura partes tribuendæ sint. Hujus vero vanam imaginem ex vagis hominum erroribus forte enatam esse, cujus nullibi verum & genuinum exemplar habeamus? Minime vero! errare certe non potuissent in anqui-  
rendo

rendo justo & recto, nisi jam, rectum aliquid & justum esse, certo mentis judicio comprobassent. Non orta esset idololatria, nisi interior animi persuasio Deum esse docuisset, eumque, quisnam sit & quomodo colendus, quærere impulisset.

Tantum igitur abest, ut ex opinionum de justo rectoque diversitate, earum rerum falsitas & inanitas appareat, ut potius, si nullum omnino sit natura justum & rectum, homo nunquam in eam cogitationem incidisset, ut id sectaretur & anquireret. Sed cum ratio implicitam justæ notionem deprehendisset, eamque explicare studeret, tum accidit, ut varie offenderet, nec rata omnia & certa statim reperiret. Idem evenisse videtur in notione pulchri, quod similiter apud omnes habetur; at, quale in singulis rebus sit, tam, parum inter omnes constat, ut ab aliis ea pulchra habeantur, quæ foeda aliis et ridicula sint. Sufficit tamen non omnia sola utilitate & egendi necessitate, sed specie quadam & judicio sensus interni censeri; in quo certe inest vis pulchri.

Jam igitur merito quæritur, qui fiat, ut iste recti justique sensus s. judicium, quod idem semper & commune omnibus sit, tam diversis & contrariis se sententiis exerat, imo in multis obscuratum plane & obrutum jacere videatur? cum tamen per totam naturam id observetur, ut, quæ vel animatis vel inanimatis propria sint & sua, ea in omnibus pariter valeant & æquali semper vi appareant?

Scilicet non tam definita est hominum indoles & ratio, quam vel corporum naturalis fabrica &

certa rerum structura, vel bestiarum *ὄργη* illa naturalis, quam instinctus nomine insignivit recentior aetas. Nempe apibus & aliis ejusmodi artificibus animalibus non impetum quendam infinitum & obscuram quasi intelligentiam tribuit, quam propria sollertia & suo studio explicarent; sed definitum & arctis limitibus circumscriptum conatum injecit, viam quoque & rationem certam demonstravit, imo materiam etiam, quam tractent, propriam subjecit natura bestiis & brutis. Quo factum est, ut ubicunque apes sint, eodemmodo favos struant & simile ceris opus infundant, iisdemque moribus, iisdem vocibus ac susurris utantur. Eadem est reliquorum ratio. Hominem autem, cum omnium animantium principem, tamen mortalem, rerum Dominum, nec tamen Deum, constituere vellet, ex ipso ei omnia apta ut essent decrevit; ideoque non aliam ei legem ingeneravit, nisi hanc, ut veritatem sequeretur, atque ex animi conscientia ageret. Quid autem esset verum, id ei ingenerare profecto non potuit. Quod enim innatum est, utile quidem & jucundum, opere atque artificio mirandum, qualia multa cernimus in brutis atque infantibus recens natis; at verum hercle dici non potest. Quod enim post partum statim uberibus admotis sugunt tenelli, nemo profecto dixerit, veritatis quandam cognitionem ingeneratam illis esse, statimque eos intelligere, si latius oris interna diduxerint, spatiumque amplificaverint, futurum, ut lac in fauces infinat. Id mirabili quadam naturæ machinatione ita fit; ratio atque intellectus partem ejus rei non ha-



habent. Hujus vero opus est, ut veritatem exquisit rat rebus cognoscendis atque investigandis. Ista autem investigatio cum nihil aliud sequi possit, nisi ea, quæ ab oculis posita sint; conditionem igitur & sedem, qua locatus sit homo, egredi non queat: quid mirum, si veritas non statim ubique clara luce apparet, neque omnibus numeris absoluta emergit?

Sensuum ope suppeditanda est, quam tractet & subigat intellectus materia. Quanta vero sic errorum & fraudis aperitur fenestra! Sensus subvehere nihil possunt, nisi quod in externa rerum conditione datum est. Quodsi igitur naturæ coelique inopia & malignitas exiguam rerum varietatem ministret; quænam cogitandi illecebræ oriuntur? Nonne animus necessarij victus cura depressus humi serpat, neque altum aliquid & sublime sapiat? Tamen, interna naturæ vi impellente, incertitudinis vagæ impatiens, dum certi aliquid quo nitatur quærit, quæ in promptu sunt apprehendit, & ea decernit, quæ præsentis rerum conditione sunt accommodatissima. Hæ illis leges sunt ex penu quasi rerum cognitarum depromptæ & proistarum ratione veræ & laudandæ. Jam si accidat, ut diu in eodem statu permaneat gens, neque aliquis novus cogitandi impulsus adferatur, forte etiam major accedat auctoritas; tum firmiter inolefcunt istæ leges, moresque evadunt nulla fere melioris institutionis arte mutandi. Si autem melior Minerva populi ingenium exercuerit & externa etiam rerum conditio mentem iisdem rebus semper immorari non patiatur: tum nova subinde

animum in omnes partes agitatum subeant necesse est, quæ veritatem profundius eruant, atque illustrent magnificentius.

Exemplo quodam insigni, quæ dixi, demonstrare opus videtur. Apud Scythas veteres & hodiernos quosdam Americæ populos non moris solum sed legis adeo sanctissimæ erat & adhuc habetur: parentes senio confectos & debiles occidere. Apud Athenienses & cultiores nostræ ætatis gentes & iudicii & infamiæ poenam subibat & hodie subit, qui patrem matremve, senes atque inopes, non aluerit, honoraverit & honeste sepeliverit. Utrique non pro lubitu quodam fortuito agere, sed certam regulam & juris normam secuti esse videntur. Sed illi rudiores populi, cum asperitate locorum, victus inopia, omniumque rerum, quæ ad vitæ elegantiam & commoditatem pertinerent, angustia premerentur, non ulterius, quam ad hæc humanitatis & societatis jura ratiocinando pervenire potuerunt: „Quod suis quisque viribus comparavit, id suum esto & habetor; nec suum quis quid habeat, aut usurpet, nisi qui id labore & opera sua acquirere possit, aut spem certe præbeat, se suis aliquando viribus aliquid ad civitatis & salutem & gloriam allaturum esse.” Simplicissimæ autem notiones cum & firmissime hæreant, & altissime in intima mentis penetrent, factum est, ut ad illa acquirenda, præstanda, obtinenda omnis virium intentio dirigeretur, omnis gloriæ impetus ad eum finem ferretur. Turpes igitur hi haberi coepti sunt, qui eo pervenerant, ut legibus patriæ & naturæ amplius satisfacere,  
nec

nec gloriam antiquam factis ultra sustinere possent: imo hos ipsos pudor subibat, ut vivere nolent, contemti & objecti, & quasi a pristino decore degeneres. Ex isto pudore, cui necessitas suffragabatur, enata est lex illa infamis, ut eum occidere pium esset atque fas, qui sibi suisque nec usui nec honori amplius esse possit: opinione quidem falsa, cui tamen subjecta esset vera juris notio, nimis tamen arctis finibus conclusa.

In quibus autem mitius coelum & largior soli ubertas sollertiora ingenia progenuit liberlioremque vivendi & cogitandi rationem fovit & aluit, apud eos is humanitatis cultus emerfit, ut majora in homine atque augustiora agnosceret, quam corporis solius per cibum potumque curationem; vitamque per se cuius caram intelligeret, cujus conservandæ & tutius commodiusque degendæ causa societas præcipue instituta est. Tum vero majorem vitæ humanæ reverentiam habere cœperunt, & vitam ac salutem cujusvis hominis, quamvis universæ societati minus utilis, imo vel oneri esse videretur, omni tamen opera juvandum, tuendum, conservandum, neque quidquam, quod hominis vitam laederet, committendum putaverunt. Sic lex humanitatis, diligentiore veritatis cultu in lucem producta, vicit utilitatis respectum.

Illa autem erga vitam hominum reverentia, quæ senio confectos, morbo omnem medicinam respiciente afflictos, non parentes solum, sed quoscunque (certe medici probi & boni viri non est,

negligere eum, cujus vita & salus non magni ad modum momenti videatur) omni studio juvare jubet ita, ut, si vitam eis, nec valetudinem certam restituere possis, tamen recrees, subleves, & dum fieri possit, inter vivos retineas ac vitalis aera munere frui sinas: illa lex, quae mortem hominis, vel iniquissimi, aut ex opinione nostra ad rempublicam parum utilis, voto ac gaudio praecipere prohibet eum, cujus virtus fordes plebejas non sapiat: haec, inquam, lex, quae humanitati imprimis apta est, quibusnam fundamentis ab iis collocetur, qui utilitatem vagasque opiniones aequi justique matrem habent, aut justa omnia ad societatis salutem unice, non ad ipsius hominis divinam & sua basi constantem dignitatem referenda censent? Certe vel humanitas, ut a Platone poetae, e civitate ejicienda est, vel fatendum, alia esse justae rectique principia, non ab opinione vaga atque utilitate, quae opinionibus nititur, sed ex interiore mentis humanae natura ac proprietate repetenda; in quibus eruendis & ad vitam hominum applicandis versatur veritatis studium, litterarum & artium cultu latius propagandum.

Quod si per multivagos errores jactata veri rectique indagatio non statim, quo consistat stabili & firmo gradu, reperit, num ideo nulla omnino certa & rata veritas habenda est? Num ideo nullus planetarum ordo & cursus definitus sit, quia non ab initio statim, quis sit & qualis, intellectum est? Num tempestatum, ventorum, fulminis ortus & occasus, cursus & meatus fortuitus nec ullis naturae regulis adstrictus ideo habeatur, quia  
diu

diu multum que in iis constituendis erratum est, neque omnia adhuc ad certum calculum revocari potuerunt? Olim tempestatum fulminumque pericula campanarum & tormentorum sonitu dispelli credebantur; hodie laminis & catenulis æreis a capitibus nostris avocantur: quis dubitet, quin & hoc posteriori ætate accidere possit, vt hac quoque fulminis avertendi ratione damnata alia reperiatur, cuius nunc ne suspicio quidem mentem hominis subeat? Num vero ideo omnis naturæ cognitio & explicatio fluctuat? Quis est, qui veterum, sive poetarum sive philosophorum, in rebus physicis commenta cum iis conferenda putet, quæ nostra ætate virorum sollertissimorum diligentia reperit & investigavit? Quis est tam vecors & plumbeus in physicis, qui inter Indorum sententiam, terram impositam esse Elephanto, qui testudinis dorso nitatur, & inter Copernici, Newtonique rationem, quænam verior sit, dubius hæere possit? Multa scilicet serior ætas reperit & in lucem produxit ita, vt de eorum veritate nemo sanæ mentis dubitet, quamvis olim alia omnia decernerentur. Veritatis scilicet studium, quod animorum est dignissimum pabulum, nullum esset, si omnia, quæ appetit, sponte sua se obviam darent. Investigatione diuturna & multiplici opus est, priusquam ad veri aliquam cognitionem pervenias; at emergit tamen subinde & eruitur id, quod verum appareat & argumento sit hominum industriæ: esse certe aliquid veri & certi in rerum natura, modo perscrutando ne defatigemur, sed acriori studio urgeamus propositum.

Quod in physicis, idem in mentis humanæ natura valet atque in lege illa principali constituenda, quæ est iusti pravique regula. Quia in re tamen eo melius se res habet, quod internus quemque sensus iusti rectique notionem docet, eumque, non casui & fortunæ, sed suæ voluntatis arbitrio, quid agendum sit, subjectum esse monet, ita ut, qui animi conscientiam diligenter excutiat, de recti pravique discrimine & regula, sit annon sit, dubitare non debeat. At multis erroribus & rerum tenebris impedita & conturbata veritas statim explendescere non potuit. Quo minus tamen barbariæ & superstitionis angustiis circumscribitur; quo liberalius artium cultu, litterarum studiis & vitæ quadam elegantia sustentatur, eo clarius & magnificentius splendet & elucet. Id puto, ex tota humani generis historia patet. Omnes enim, quotquot ubique sunt gentes, quo longius cultu ac litteris progrediuntur, eo propius ad unum eundemque iusti iniustique modum, ad unam eandemque pravi rectique regulam accedunt, quæ inter eos, qui cultiores habentur, Europæ populos obtinet & per ætates quasdam jam obtinuit. Mirum certe foret, si omnes, ubicunque terrarum sint, homines, habitu, cultu, moribus atque institutis diversissimi, ad eundem tamen honestatis et virtutis finem contenderent, nisi ipsa honesti, iusti rectique lex in ipsa naturæ mentisque ratione fundata firmiter hæreret. Sicut in iis, quæ terra procreat & alit, ea germinis pars, quæ floribus & fructui generando apta ac destinata est, sponte sua sursum se tollit in luminis auras; altera, quæ

quæ radicibus alimenta ex terra attrahit, & certa basi totam plantam firmat, deorsum vergit, neque id pro coeli varietate cultuque regionum diversum est, sed eandem semper rationem sequitur, quæ certe a natura est: ita dubitari, mea quidem sententia, non poterit, quin & in hominis mente, quod ad eundem semper finem contendat, id naturæ rationem sequatur. Pro lege itaque naturæ id habendum fuerit, quod doctiorum virorum populorumque universorum studiis subinde magis in lucem producitur & confirmatur.

Non omnes quidem gentes pari gradu procedunt, neque eandem viam sequuntur; at qui semel procedendi impetum cepit, sensim tamen ad eam legem propius accedit, quæ a reliquis etiam optima habetur ac divina; neque temere gentem ullam reperias, quæ, cum aliquantum ad veritatem processerit, in pristinam barbariem atque immanitatem ita recidat, vt legis auctoritate & religionis sanctitate eam tueri velit. Perverti quidem augusta veritas & prava superstitione cum ipsis sceleribus copulari potest; (quod religioni scilicet christianæ accidit:) verum ex ipsa illa corruptionis caligine divinum illud honestatis & virtutis lumen emicat, quæ, vt sol nubibus, ita errorum & scelerum tenebris induci quidem & obtegi, at opprimi certe nunquam potest, quin novo mox splendore effulgeat, & vi sua et maiestate animos hominum capiat.

Paullo fusius & ultra notæ modulum hoc exsecutus sum, quia haud paucos circa veram virtutis

tis originem & naturam errare, &, vtrum sua vi aliqua constet, an vago hominum arbitrio pendeat, non sine gravi noxa sua dubitare animadverti.

— *Quia non idem contingit in sensibus.* Ea scilicet, quæ solis sensibus percipiuntur, certa sunt ac definita, nèque multo studio vel arte sunt exquirenda. Dulcia enim & amara, laevia & aspera, alba & nigra certa quadam ratione sensus ita tangunt, vt cuius eadem sint, iisdem a quovis nominibus appellentur. Iste tamen consensus hominum perturbatur & tollitur, simulac mentis iudicium accesserit: tum enim in diversa abeunt hominum opiniones, neque omnes pariter, quæ dulcia, eadem etiam jucunda; quæ aspera, eadem injucunda dicunt & habent; nec nigrum colorem omnes tristem horrent, albo delectantur. Consuetudo etiam facit, vt res acerbissimi & teterrimi saporis: Tabacum, Caffea, Rhabarbarum, Caseus in deliciis haberi possint.

— *Imitatrix boni voluptas.* Voluptatis sensus quasi primus hominis motor est, sine cuius impulsu iners jaceret. Multa etiam naturali quodam jucunditatis sensu in animo inhærente ita fiunt, ut honestatis speciem præ se ferant. Non immerito igitur imitatrix boni dicitur.

— *non cernimus satis.* Ex lectione codicum: *cernuntur* Dav. legendum decernit: *cernunt*, animi sc. Sed ingrata est tamen vel minima ex hac lectione oriunda suspicio, idem subjectum verbis *cernunt* et *cernunt* deberi, quam Cicero sane non



temere admiserit. Lectio *cernuntur*, vt aliud fere aliud vitium trahit, orta sine dubio est ex alia vitiosa lectione: *corrupta* pro: *corrupti*, quæ oscitanti vel invita Minerva iudicanti librario ex eo quod sequitur: *quæ bona sunt*, in mentem venisse videtur.

## CAPUT XVIII.

§. 48. Hujus sectionis argumentatio, vt multa omnino in hac disputatione, in multis redit ad usum et consuetudinem sermonis in notandis rerum vocabulis, qui quidem argumentandi modus contemnendus certe non est. Profecto enim, quod jam Lucretius lib. V. 1027. sqq. vidit et luculenter suo more exposuit, sermo non unius cuiusdam arbitrio inventa et pacto quasi ad designandas rerum notiones introducta; sed ex intimis sensibus atque ex penetrali quasi mentis depromta, quid intus agatur vel invito homine prodit. Qui enim fiat, vt homo aliquid verborum signis representare allaboret, quod non cogitaverit et mente effinxerit? Sermonis facultas tam arcte cum ratione cohæret, vt pro genuino ejus foetu et pro certissimo inter hominum bestiarumque genus discrimine merito habeatur. Hoc vero senserunt Græci, (qui, quod Judæi in summi Dei majestate tuenda et aliis declaranda fecerunt, idem in vera mentis humanæ dignitate et genuina virtutis indole eruenda atque ad reliquas gentes et ætates propaganda præstitisse videntur) cum eodem vocabulo, *λογος*, et rationem et sermonem significarent; illam *λογον ἐνδιαθετον*, hunc *προφορικον* nominarent;

rent; itaque, quod res est, declararent: nec rationem absque quibusdam vocabulorum, mente saltem conceptis, signis vim suam satis exserere posse, nec voces et vocabula certa absque rationis vi atque efficacia posse effingi. Quæ enim Psittaci et corvi imitantur vocabula, cum ab his sine sensu pronuncientur, non sunt vocabula, sed soni inanes. Cum igitur ex ipsa ratione, quasi fonte, deducenda sit sermonis facultas, quid aliud in eo expressum putabimus, quam dictata rationis, et obscuras quidem nec satis explicatas, imo sensuum et argutiarum calumniis sæpius pæne obrutas rerum notiones; at non ita tamen deletas aut delendas, vt attente consideranti et alia rationis opera comparanti clare et distincte non appareant. Recte igitur reliquis argumentis tractatis et expositis ad linguæ etiam et sermonis vim decurritur, nec vitio quisquam verterit, si e. g. in disquisitione de origine notionis de Deo ex variorum Dei nominum origine et notione primaria hoc deducas: in Deorum vi et numine concipiendo et definiendo utilitatis rationem omnino habitam non esse, sed excellentiam quandam ac majestatis vim inprimis valuisse. Eodem jure ex virtutum quoque nominibus hoc concluditur: nec utilitatis, nec præmii ullum respectum ex communi atque incorrupto hominum sensu in iis obtinere. Interioris autem humanæ naturæ indolis quasi speculum esse sermonem fatentur etiam ii, qui in variis populorum linguis eorum ingenia & mores non minus expressos putant, quam in universo vivendi habitu & cultu; qua propter neque a Philosophis,  
neque

neque ab Historicis, qui sunt proprie rerum humanarum Philosophi, linguarum investigatio negligi debeat. In singulorum etiam hominum sermone inest quidam sensuum intimorum character, tam alte insidens, ut ex scriptis etiam & lectis, imo aliorum voce pronunciatis, eorum dictis appareat. Quis igitur hoc non probet & credat, ex totius generis humani sermone humanitatis characterem clarissime elucere, ideoque ex ejus indole ac vocabulorum formatione recte veram in ipsa mente conceptam notionem evolvi.

— *¶ jus & omne honestum sua sponte esse exp.* Non inepte h. l. ista causa tractatur: nam, sicut ex superioribus sequitur, jus & omne honestum, quippe in natura positum, per se & sua dignitate esse expetendum; ita, vice conversa, si sensus quemque suus & ratio docent, jus & omne honestum sua sponte expetendum, sole clarius patet, vim ejus & dignitatem non ab hominum arbitrio, neque ab utilitate aliqua, sed ex natura repetendum esse: quod nisi esset, non propter se, sed propter alia expeteretur.

— *errare & diligere.* Recte prius vocabulum vertit Heinze: *wanfen* sed posterius non vertendum erat: *lieben*, sed: *auswählen*, *seligere*. Negligentius etiam paullo in eo versatus est interpretes, quod verba: *nec est viri boni errare simpliciter reddere* voluit per: *Keiner wanfet*, in quibus vocabulis cum viri boni mentio omissa est, tum illud neglectum, quod in latinis inest, quod non, quid agat bonus vir, sed quid ei agendum

dum sit, vel quid cum notione ejus conveniat, declarare voluit Cicero.

— *Sin ea, reliqua quoque virtutes.* —

— *Ergo item justitia.* — Vis conclusionis a justitia (quæ homine vt solo instrumento uti vetat) ad liberalitatem, (quæ quemvis hominem sua natura & ratione communi constantem vereri, tueri & sublevare jubet) itemque a liberalitate ad justitiam redit ad conjunctionem vtriusque virtutis cum societate humana, de qua perspicue ipse Cic. de Off. I. 7. *latissime patet ea ratio, qua societas hominum continetur; cujus partes sunt: justitia, in qua virtutis splendor est maximus — & huic conjuncta beneficentia; quem ad locum conf. Garve.* Ad societatem autem tuendam natura duce, i. e. rectæ rationis vi impellimur, quæ liberalitatis non minus, quam justitiæ legem in se continet.

— *Si sine præmio est, gratuita:* Ausus sum omittere voc. *benigna*, quod vulgo post: *præmio* additur, cum orationis concinnitate, tum codicum veterum auctoritate etiam nonnihil suffragante: ii enim habent: *benignus*, qua ex varietate glossatoris male feriati manus facile suboleat; vnde etiam Davisio jam in mentem venit illam vocem ejicere.

— *justitia nihil exprimit.* Suo periculo, haud sane certis adducti rationibus, Dav. & Ern. *expetit* dederunt pro: *exprimit*, quæ lectio sane elegans optimorum codicum auctoritate & doctissimorum etiam virorum Turnebi, Gruteri, Schef-  
feri,

feri, al. suffragio se tuetur. Quod enim Davisius suam emendationem ex eo defendit, quod sequatur: *per se igitur expetitur*, id ejusmodi est, ut nostram potius lectionem amplecti & in suam locum restituere jubeat. Certe elegantiam Ciceronis desideres, puto, magis, quam mireris, si hæc legas: *justitia nihil expetit præmii; per se igitur expetitur.*

— *caussa atque sententia* i. e. conditio & vis interna ac propria s. sensus quasi & argumentum virtutum.

§. 49. *emolumentis, non sua sponte expenditur.* Ern. & Dav. alteram codicum lectionem: *expetitur* receperunt, subjuncta ratione, quod res ipsa hanc lectionem flagitet, & *emolumentis* quidem, at non *sua sponte* cum vocabulo: *expenditur* conveniat. Sed vix persuadeas, probæ latinitatis esse: *emolumentis expetere*, pro: *propter emolumenta.* Aptissime autem dicitur: *emolumentis expendere*, pari fere sensu, ac: *metiri, æstimare commodis, utilitate.* *Sua sponte* autem cum proprie sit nihil aliud, quam: *vi propria, interno impetu*, quo sensu est apud Virgilium Georg. II. 47. *sua sponte quæ se tollunt* i. e. *vi propria*, cultu non adhibito; & ipsum Ciceronem cap. XIII. huj. lib. *laudari sua sponte*, quod antea dixerat: *per se ipsum laudabile*: quidni recte dicatur *virtus sua sponte* i. e. *sua vi pretioque interno & dignitate propria expendi, æstimari, cenferi?*

— *quæ malitia rectissime dicitur.* *Malus, malitia* ad fontem græci vocabuli *μαω* (ut *salus, L sal-*

salvus ad  $\sigma\alpha\omega$ ) referendum videtur, quod alacritatem quandam & celeritatem agendi atque industriam significat; quæ quia magis in iis perspiciuntur, qui ad rem attenti, ut aliorum commoda ad se convertant, omni cura & studio vigilant, quam in iis, qui iustitiæ severi cultores paucis ipsi contenti naturæ convenienter vivunt; (cf. Lucæ XVI. 8.) inde hoc vocabulum primo de iis usurpatum est, quos proprie prudentes & callidos dicimus, qui sermonis usus in nonnullis certe regionibus vocabulo germanico *schlimm* communis est, quod pro callido dicitur in ista & similibus locutionibus: *er ist viel zu schlimm, als daß er das nicht merken sollte*: deinde communi loquendi consuetudine ad eos translatum est, quos proprie pravos, perditos, invidos, nocendi cupidos dicere vellent & deberent. — Hoc nostro loco priorem vox *malitia* & antiquiorem significatum obtinet, idemque valet, quod *calliditas*.

— *ut, qui virtutem &c.* Non est apta istorum cum iis, quæ antecesserunt, conjunctio, nec satis concinne hæc conclusio sub sequitur: *ubi enim &c.* Etiam paullo ante eadem iisdem fere verbis dicta sunt & loco aptiori: *si emol. non sua sp. — dicetur.* Ergo mea hæc est sententia, ut toto hoc veru: *ut qui virt. — malit. putent* tanquam non Ciceronis sed glossatoris partu. in exilium misso. hæc propius invicem admoveantur: *ita minime est vir bonus. Ubi enim benef. quo facto nullo hiatu nec inani repetitione argumentatio commode procedit.*

— cer-

— *cernunt*. Hoc verbum in se habet *dilectum* & *curam* convenitque h. l. cum germanico: *beabsichtigen*.

## CAPUT XIX.

§. 50. *Erubescunt pudici etiam loqui de pudicitia*. Qui hanc lectionem defendunt, viderint sane, an erubescendum fuerit *Bürgero* nuper defuncto, cum elegantissimum illud melos, quod *Männerkeuschheit* inscriptum est, caneret. Quod si legas *de impudicitia*, verior non solum evadet sententia, sed etiam ea, quæ nonnihil faciat ad quæstionem propositam. Scilicet, si pudicī erubescunt etiam loqui de impudicitia, qua tamen vituperanda, castiganda, damnanda, modestiæ & castitatis laus parari possit, facile patet, non famæ causa sed propter ipsius turpitudinis vim petulantiam esse fugiendam. Tamen vel sic hiulci aliquid & asperi adesse videtur, ut toto versu ejecto, in iis, quæ sequuntur, Pro *ac* legere malim *at*, cujus particulæ in responsionibus cum indignatione quadam vim & usum singularem huic loco imprimis convenire, neminem elegantioris latinitatis peritum non agniturum esse confido. Jam Turnebus locum mutilum suspicatus erat, cui alii argumentis non satis probis obviam iverunt.

— *nullum vitium vitare* — *putant*. Ista locutio græcismum redolet, qui verbum *deiv* post *doxer* sæpius omittit, de quo vid. Lamb. Bos de Ell. gr. voc. *deiv*. Davisii conjectura: *curant* pro *putant* nimis audax videtur.

§. 51. *cum ipsa infamia &c.* Argumentum hocce tam ingeniosum est, ut nihil fere in toto Cicerone sit ingeniosius. Verum quidem est, multos non nisi infamiae metu a flagitiis arceri; at illud ipsum, quod infamiae macula iis adspersa fuit, insignis est victoria preclaræ illius humano animo penitus insitæ notionis, ex qua iusti, iniusti que; decori atque indecori lex et regula enascitur. De hoc autem inter homines dubitare posse hominem, prorsus indignum est, cum, quæ in bestiis etiam honoris & gloriæ cupiditas, vel ignominiae fuga, deprehenditur, ut in canibus, equis, leonibus, gallis gallinaceis & al. ex rei natura h. e. ex interno animi impetu vel irarum vel libidinum stimulis concitato, neque vero ex opinione aliqua vel vano arbitrio repetenda sit.

— *facillime percipi potest* Retinui istam lectionem, quam sine iusta causa a Dav. & Ern. damnatam putavi. Etsi enim *perspici*, quod illi prætulerunt sensu suo forte non careat, tamen rector & elegantior videtur sententia latere in lectione vulgata: *percipi*, quæ hanc vim habet, ut ex vitiis non solum argumentando intelligatur, (quomodo sæpe aliud ex alio concluditur, diversa ex diversis) quæ sit animi turpitudine; sed in ipsis ea vitiis insit, in iis sentiatur & concipiatur, ita ut deformitatis animi notio alia, nec conceptus alius non sit, nisi ipsorum vitiorum natura atque indoles. Non igitur germanice verterim equidem cum H. da diese aus den Lastern selbst leicht offenbar wird; sed: von welcher man in dem

dem



dem Laster selbst den leichtesten Begriff ers  
erhält.

— *quid immanius libidine.* Davifius, quia  
sint alia vitia libidine immaniora, ex uno libro *in-*  
*famius* legendum pronunciat, & in citandis locis,  
vbi de libidinis infamia agitur, operam perdit;  
eique adstipulatur Ernesti. Sed cum Cicero hoc  
agat, vt non ex infamia vitiorum turpitudinem,  
sed ex propria illorum turpitudine infamiam ge-  
neratam esse, confirmet, nihil profecto inanium &  
ineptius dicere potuisset, quam hoc: libidine ni-  
hil esse *infamius*. Sic enim infamiam principii  
loco poneret, vnde turpitude oriretur: cum tamen  
contrarium potius velit Cicero. Immanitatis au-  
tem epitheton libidini non male convenire, contra  
Ernestium non modo ostendit etymon vocis, in  
quo inest studium temere agendi quod lubet, cui  
consequens est, vt jus fasque negligantur & pro  
nibilo habeantur, dummodo id assequaris, quod  
velis; sed etiam alia libidinis epitheta haud sane  
mitiora e. g. furiosa, sæva, importuna, al.

— *ad contrariam laudem in virtutem.* In-  
tempestivus sane ex librariorum aberrationibus  
aliquid novæ lectionis eruendi pruritus Davifium  
impulit, vt sic legeret: *e contrario laudem in vir-*  
*tutum*, quæ mutatio non solum non necessaria, sed  
dura etiam & a Ciceronis oratione omnino alie-  
na est.

§. 52. *atque vt ex alio alia neſtantur.* Da-  
vis legi iubet vel: *ex aliis alia*, vel: *ex alia*  
(*ſc re*) *alia neſtatur*; & verum est, plerumque  
vocabulary *alius* eodem numero repeti: est tamen,

etiam, vbi numeri diversitatem res ipsa, etsi non postulet certe admittat & ferat, e. g. Cic. Verr. I. 22. *legati cum signa & ornamenta cognoscerent, alia alio loco lacrymantes intuebantur.* Similis est nostri loci ratio, vbi ex alio commode positum haberi potest pro: *ex uno aliquo principio.* — De momento autem, quod Quæstio de finibus ad disciplinum morum habet, cf. Garve ad Cic. off. I. 3. p. 10.

§. 53. *si posset inter eos convenire.* Davisi conjectura *uti pro si* substituentis superflua & tantum non inepta est. Cæterum recte hunc versum, quem alii ejiciendum censuerant, retinuit: mire enim apta est ejusmodi repetitio diligentia & religioni judicis legumque periti, dictorum perspicuitatem magis, quam elegantiam & concinnitatem phrasium spectantis.

## CAPUT XXI.

§. 54. *Vir iste fuit ille quidem.* In prioribus voculis fane latet mendum, quod qua ratione tollendum sit non video. Voculam tamen *quidem* sine causa omisit Davisius.

§. 55. *& ab illa Plat. fam.* Cum & Aristot. & Xenocrates Platonicis accensendi sint, de Off. I. 1. Acad. I. 6. de Fin. IV. 2. merito reprobatur Dav. *illa,* & conj. *omni:* forte mel. *tota.*

— *Sed ex iis tres arb.* Recte, puto, hanc lect. *ex iis* defendit Dav. cum eodem plane commate nominatae sint legg. XII, ideoque ejusdem nominis repetitio superflua foret, *illis* autem, quod

quod vult Ern. ad remotius pertinere videretur. Equidem antiquam librorum lectionem *his* revocare malim.

§. 56. *apta virtute.* Commode Turn. ad explicationem hujus dictionis advocat illud Tusc. V. 14. *rudentibus apta fortuna*, unde *vita apta virtute* est: vita ex virtute pendens, ad ejusque normam instituta. Vita *modica* est lenis, tranquilla, a splendore æque ac squalore remota, qualem fere *μετρίων* dicit Sophocl. Philoct. 179.

— *Quod inter hæc velit virtute tanquam lege vivere.* Hæc conjunctio eorum, quæ natura postulat, cum virtute, plane est ex mente Ciceronis & convenit cum aliis locis, quæ eadem de re agunt, de Fin. II. 11. Veteres Academici & Peripatetici finem Bonorum dicebant: *secundum naturam vivere, i. e. virtute adhibito frui primis a natura datis.* — Stoicis summum bonum est: *consentire naturæ, quod esse volunt: e virtute i. e. honeste vivere.* (cf. Diog. Laert. VII, 87.) ibid IV. 6 *omnibus aut maximis in rebus, quæ secundum naturam sint, fruendum vivere — complentur & ex eo genere vitæ, quod virtute finitur & ex iis rebus, quæ secundum naturam sunt.* de Off. III. 3. *Convenienter naturæ vivere, id habet hanc sententiam: cum virtute congruere semper; cætera autem, quæ secundum naturam essent, ita legere, si ea virtuti non repugnarent.* cf. etiam Acad. I. 6. Quæ loca diligenter comparanti facile, puto, patebit, Cicero- nem, cum id ageret, vt quænam sit vera summi boni notio, & quomodo Stoicorum de ista re sententia ab Academicorum scitis & Peripateticorum

non nisi verbis discreparet, nullo pacto hoc, quod ultimo loco posuit, omittere potuisse, cum in eo ipso, quod Academici non minus quam Stoici summas aut primas partes tribuerent virtuti, totius argumentationis vis nitatur. Tantum igitur abest, ut otiosæ sint istæ octo voces, quæ est Dav. sententia, cui favet Ernesti, ut absque iis manca & mutila oratio fieret atque argumentandi ratio: nam in explicanda dictione *naturam sequi & ejus quasi lege vivere*, mentio virtutis, in qua summa res versatur, plane omiſsa esset. *Inter hæc* autem est: in usu & fructu earum rerum, quæ sunt secundum naturam, quæ sunt quasi materia, quam tractet virtus rerum domina.

## CAPUT XXII.

§. 58. *Sed profecto ita se res habet.* Non observavit vim particulæ *sed* Heinze cum ejus loco & substitueret atque interpretaretur. Est germ. *indessen*.

— *Ita fit, ut mater, &c.* Cum a lege vivendi doctrina ducatur, legis autem cognitio e Philosophia repetenda sit, sequitur, omnium quæ e vera vivendi doctrina utilitates evadant, esse matrem Philosophiam, quæ sui ipsius cognitione hominem eo perducatur, ut *primo* suam ipse dignitatem intelligat; *deinde* ad societatem cum hominibus ineundam impellatur, quam in universum humanum genus extendat, & ad cujus utilitatem omnia referat. Hanc vero laudem Philosophiæ h. l. ita tractatam esse, ut eadem ejusdem, quæ legis, funda-

damenta sint & principia appareat, & quæ legem ipsam commendent, quod scilicet sit recta ratio vivendi, eadem ad Philosophiæ inprimis laudem pertinere, declaretur, ex comparatione totius disputationis, quæ hoc libro continetur, præcipue cap. VIII. sqq. vbi ea legis principia ponuntur, quorum cognitio h. l. e philosophia repetitur, cum hoc nostro loco & aliis, qui eandem Philosophiæ laudem, sed alio consilio exponunt (Tusc. V. 2. I. 26.) facili negotio patefcet. Tota Philosophia unice eum spectat finem, qui legi propositus est, quæ summam & caput totius continet sapientiæ in vitæ constitutione & moderatione versantis. Sicut autem lex ex intimo mentis adyto promebatur, ita & universa philosophia ex animi recta conscientia & sui ipsius cognitione derivatur, & in universi humani generis salutem redundat. Aptissime igitur Cicero postquam principia legis & juris exploravit, eademque ad omnes virtutes transduxit, finem etiam bonorum, qui certe in natura esse debet, ex iisdem constituendam indicavit, postremo in universæ Philosophiæ laude, quæ omnia ista continet, causam perorat.

— *bonarum artium.* Dav. & quos secutus est in mutando vocabulo *artium* in *rerum*, non viderunt, quæ vis esset istius vocabuli, quod omnia complectitur, in quibus sollertia hominum versatur vnde inprimis de consiliis astute & callide, excogitatis occurrit, cujus rei exempla, quoniam in bonis Lexicis exstant, citare supersedeo. *Bonæ* igitur *artes* complectuntur omnia, quæcunque ad vitam bene & prudenter & ad communionem ho-

minum salubriter instituendam pertinent; quibus contrariæ sunt *male artes*, quarum sæpius Tacitus meminit. cf. Tusc. l. 26. *philos. omnium mater artium*

§ 59. *Simulacrum aliquod dedicatum.* Nihil dixisse videatur Cicero, nisi meminerimus, quanta simulacrorum apud veteres fuerit religio, cum ipsa numina præsentia in iis habitare crederentur. Cæterum cum hoc nostro loco, etsi consilio & ratione plane diverso, comparasse non pœnitebit ingeniosissimam pariter & jucundissimam Alcibiadis orationem, qua Socratem Silenorum æquiparat imaginibus, quæ intus clausa Deorum simulacra continebant; in Plat. Sympos. p. 256.

— *perspexerit, totumque tentarit.* Hoc hysterion proteron sine justa causa tollere studuit Ern., cujus tamen plura exempla non defuerint. In promptu sunt Homericum illud: *τῆα θεῶν ἦδ' ἐγχεύοντο.* & Virgil. *moriamur & in media arma ruamus.* Quis vero, & si nulla præterea exempla citari possint, ejusmodi negligentiam scriptori ad rem ipsam magis, quam ad singula vocabula, attento non concedat, præsertim cum hoc loco non ratio & methodus, se ipsum cognoscendi, sed, quæ ejus consecretaria sint, tradendum fuerit. Conferri etiam potest §. 62. quæ inesse in homine *perspiciantur* ab iis, qui se ipsi *velint nosse.*

— *principio rerum omn.* Principio displicet Ernestio „quia sit *primo*, nihil tamen sequatur alterum aut secundum” hoc tamen *secundum*, etsi non expresse, implicite certe sequitur in vocibus:  
qui-

*quibus illustratus.* Commode etiam *principio* sumitur pro: *primo nascendi ortu*, quo factō nihil certe secundum desideratur.

## CAPUT XXIII.

§. 60. *labem decoris.* Dav. vult *dedecoris.* Sed utrumque recte dicitur &: *labes dedecoris*, &: *labes decoris.*

— *coierit cum suis.* *Suis* quidem per se non recte ad *animum* refertur; at cum ἐκ τῆς κοινῆς homo intelligatur facile, inter gratas negligentias hoc exemplum referri poterit.

— *omnesque natura conj.* Videtur ante *natura* excidisse *ut* aut tale quid, quod faciat ad declarandam causam, quapropter omnes homines inter suos referre debeat homo; quia scilicet naturæ vinculo conjuncti sint.

§. 61. *Dii immortales! quam ipse se noscet?* Eodem plane modo Cicero de sui ipsius cognitione loquitur, quo Plato Alcib. I. & Porphyrius ap. Stobæum Serm. XIX. qui a sui ipsius cognitione ad totius universi contemplationem progrediendum esse docent. Porphyrii verba sunt: προθυμωμεθα γινωσκειν ἑαυτοὺς, καὶ εἶναι ἡμῖν τευξις ὀρθῆς φιλοσοφίας, ἐκ τῆς ἡμετέρας κατανοήσεως ἀναβαίνεσθαι ἐπὶ τὴν τῆς παντὸς θεωρίαν· ἀλλ', ὅτι μὲν ἀπὸ τῶν ἐν ἡμῖν συλλογιζόμεθα καὶ περὶ τῶν ἐν τῷ ὅλῳ, καὶ ἡμᾶς ἐταζόντες καὶ εὐρισκόντες ῥαὸν μεταβαίνομεν ἐπὶ τὴν τῆς παντὸς θεωρίαν, λέγεται ὀρθῶς. Sicut autem omnino contempla-

tio

tio naturæ animum erigit, (Acad. IV. 41.) ita in-  
 primis, qui se illius magnificentiæ partem haud  
 exiguam, totius mundi civem, imo Deorum ho-  
 minumque socium cognoverit, suam dignitatem  
 mirabitur, seseque supra omnia humana & terrena  
 longe elatum intelliget, eaque contemnet. conf.  
 Tusc. V. 24. sqq.

§. 62. *Præcepta salutis & laudis.* Præcepta  
*laudis* (quam vocem, vniis tantum litterulæ immu-  
 tatione, ex vulg. *laudes* recte retinuit Ern. neglecta  
 Davisi tantum non absurda conjectura: *voce*)  
 sunt præcepta quæ ad veram laudem ducant, vt  
*præcepta virtutis, gloria &c.* dicuntur.



## ANNOT. AD LIB. II.

### CAPUT I.

§. 3. *Quæ te non attingit ita.* Voculam *ita* Davisius & post eum Ern. in exilium ejectam volunt. Equidem eam commode retineri & provalde, adeo sumi posse arbitror; vel, quod planius est & facilius, cogitatione supplendum est: *ut me.*

— *Si verum dicimus.* Quamquam Ern. hoc durius dictum censeat pro: *si verum dicere volumus*, hanc ipsam tamen phrasin huic loco minime convenire, eum puto facile intellecturum, qui reputaverit, *si volumus* proprie ex vera latinitate esse: *si voluntas nobis est & consilium*; tum vero parum apte sequi: *hæc est mea*, sed: *hæc dicenda erit*, aut tale quid necessitatem quandam referens.

— *inest nescio quid.* Scilicet locus, ubi nati sumus, & in quo primæ pueritiæ annos transigimus, multa habet, quæ gaudia illius ætatis pura simplicia, nullo metu nec curis ullis contaminata, sed intimos animi recessus leni vigote suo permeantia, in memoriam revocent, & ipsa recordatione animum suavissima voluptate perfundant. Ex hoc principio fere unice desiderium penatium & amor patriæ deduci debet, qui pro temporis spatio, quod quis in nascendi loco trauserit, pro vitæ commoditatibus, quibus ibi usus fuerit, pro ingenii cultu & animi denique naturali bonitate diversus esse solet.

CAP.

## CAPUT II.

§. 5. *quæ populi Romani universi civitas est.* Lambini auctoritate commotus hanc lectionem recepi, quæ sola sensum commodum & huic loco aptum fundere videtur. Errores librariorum qui cognoscere cupit, is adeat editiones majores.

## CAPUT III.

§. 6. *quod in Phædro Platonis.* Locus est Vol. X. ed. bipont. p. 286. Cæterum miram suavitatem habet simplex ista & quasi in re præsentifacæ naturalis amœnitatis descriptio, imo contemplatio, cui præsentis interesse, quam oculis auribusque ipsi haurire, non litterarum signis expressam relegere, videmur. Lubenter versamur inter viros doctos, otio suo tam liberaliter fruentes, ut, animo ad omnes res attento, in cogitandi sollertia optimum pabulum inveniant & naturæ amœnitatibus quam maxime delectentur. Ista legentem quam pœnitent inertie illorum, qui in conventibus quotidianis nil, nisi chartas & aleam, coenam & pocula curant & respiciunt.

§. 7. *quem ex Quinto sæpe audio, Thyamis Epirotes tuus* Necessitati magis, quam certis rationibus criticis cedendum fuit in lectione hac constituenda, ut sensus reliquo sermoni aptus evaderet. Vulgata lectio: *quam ex Qu s. aud. Thebanus t. E.* ab omnibus damnata, sed varie correctæ est. Vitia latent in vocc. *quam* & *Thebanus*, pro quibus Dav. *quem* — *fundus*; sed posterius vocabulum nimis a litterarum ductu recedere videbatur.

ba-

batur. Recepti igitur Turnebi lectionem: *Thyamis*, qui est Epiri fluvius. Cum enim in Fibreni fluvii amoenitate paullo ante moratus esset Atticus, aptissime jam ei comparari & opponi potest alius fluvius *Thyamis*. Deinceps autem de toto fundo aut de Gymnasio Attici sermo est.

## CAPUT IV.

§. 8. *labamur interdum errore sermonis. ignoremusque vim sermonis ejus, quo.* Recte offendit viros doctos repetitio ejusdem vocis: *sermonis*. Alterutro loco certe ejiciendum videtur. Dav. e priore expunxit, ubi tamen comparanti lib. I. c. 6. locum huncce: *sed quoniam in populari ratione cet. & quæ post sequuntur: ne æstus nos consuetudinis absorbeat & ad sermonis morem usitati trahat; non abesse debere videtur.* Nam Cicero non simpliciter timet errorem quemcunque, sed eum, qui ex sermone & consuetudine dicendi vulgari obrepere possit incautis. Deinde si vocab. *sermonis* h. l. abesset, tum *errore* non subsequi, sed antecedere debere verbum *labamur*, suspicio est haud levis ex similibus formulis suborta, in quibus causa lapsus, cum genitivus adjectus non est, verbum antecedit, non subsequitur. Ex altero igitur loco extrudendum est, eo etiam nomine, quod parum apte ex sermone jura constitui dicuntur. Quid autem substituendum sit, in codicum silentio certo definiri non potest. Facillimum esset legere: *legis ejus, qua* Legem enim juris exordium & regulam non semel appellat Cic. lib. I. 6. Tam litteris diversa tamen vocabula permutare potuisse librarios, in  
in-

incredibili eorum, quæ sæpe deprehenditur, oscitantia mirum certe non est.

— *ex quo illa lex.* Vulg. ex qua: sed rectè monuit Dav. *qua* nec ad *mentem*, nec ad *ratione* referri posse; itaque conjecturam ejus: *quo* adoptavi, i. e. *unde*, quod ad totam antecedentem propositionem refertur; quia scilicet princeps lex est mens divina.

§. 10. *Neque enim esse mens divina sine ratione potest, nec ratio divina non hanc vim in rectis pravisque sancendis habere.* En notionem de Deo dignissimam ac magnificentissimam! quam ut evolveret atque explicaret, diu laborandum fuit generi humano & cum multis errorum ac superstitionum tenebris colluctandum, nempe: summam in Deo esse rationem; hujus vero proprium, ut de rectis & pravis statuatur; igitur Deum non potentia & robore, sed sanctitate & bonitate venerandum esse & colendum. Ista quæ dicitur moralis Dei perfectio, sine qua vera religio consistere sane non potest, a toto Homero abest, ejusque cognitio inter Græcos Socratis disciplinæ accepta referri debet. Moses etiam & antiquiores Judæorum libri, nisi vocabulorum ambiguitate falli cupias, longe ab ista doctrina absunt, quæ seriore demum Davidis & prophetarum ætate increbuit, Christi vero institutione & præceptis firmo pede tandem stabilita & per orbem terrarum vulgata est.

In ratione autem vim legis esse, i. e. vim ejus propriam & genuinam indolem in rectis pravisque sancendis censeret, adeoque rationem sibi ipsi

ipsi legem esse, quam ipsa sua sponte ferat, roget,  
 jubeat, præclarum est græci ingenii inventum, Ju-  
 dæis, qui omnia ad Dei imperium, verbis pro-  
 nunciatum & rerum miraculis promulgatum, re-  
 ferrent, prorsus ignotum, Christi tandem disci-  
 plina & his traditum (Ep. ad Rom. II. 14. sq.) In  
 eo tamen, quod ratio vim habet imperandi & pro-  
 hibendi, cogendi & vetandi, recta pravaque sen-  
 tiendi, inest id, quo illa solo differat a legibus na-  
 turæ mechanicis & a sentiendi ac percipiendi fa-  
 cultate, quæ cum brutis fere communicanda est.  
 Sensus hoc quemque suus s. interna animi consci-  
 entia facile docet, eam, quæ ad agendum impellat,  
 & de actionibus judicet, mentis facultatem neque  
 tali naturæ necessitate, quæ in naturalibus corporis  
 desideriis atque agitationibus regnat, cogi, neque  
 etiam cum ea, qua sentimus & percipimus parte  
 omnino congruere: alia enim est animi adfectio,  
 si nos vel vere vel falso judicasse intelligimus;  
 alia, si recte vel perperam egisse judicamus. Ali-  
 ter profecto animus adficitur sensu bonæ valetudi-  
 nis & voluptatis delectatione; aliter intellecto &  
 percepto Euclidis Theoremate quodam difficili;  
 aliter officio cum interna mentis comprobatione  
 perfecto. Hanc moralis sive judicii, sive sensus,  
 indolem, hanc rationis libertatem, ab omnibus  
 & naturæ legibus separatam, neque etiam veritatis  
 cognoscendæ regulis necessario obnoxiam, qua  
 mens quasi rerum domina evadit, tetigerunt Græci,  
 quos sequitur Cicero, & ingenii quidem subtilitate  
 notaverunt; at ita non illustrarunt atque exorna-  
 runt, vt nostra ætate fecit Kantius, qui res gra-  
 M vissi-

vissimas & magnificentissimas accuratiori de eadem & subtiliori judicio superstruxit. Quas quidem vel repetere vel explicatas dare hujus loci non est; at notare eas, & primum notatæ hujus & erutæ eximiæ mentis humanæ indolis in veterum libris vestigium indicare non inutile fore putavi. Eæ enim sunt, quarum seriem a Kantio dilucide expostitam legere & contemplari non possis, quin animus erigatur, se ipsum ac divinam suam præstantiam miretur, ad sui que reverentiam suarumque legum observantiam excitetur & provocetur.

Cæterum vocabulum *divina* vocem *ratio* subsequens vix a Ciceronis manu esse putaverim. Impedit enim justam atque aptam argumentationis consecutionem. Non enim in sola ratione divina est vis jubendi & vetandi, sed etiam in humana: quare paullo antea dicitur *ratio mensque sapientis ad jubendum & ad deterrendum idonea* & paullo post: *item cum in homine est* &c. & assumptio exemplis hominum comprobatur, ut Coclitis, cui ratio quidem, at divina ratio certe tribui non potest. Syllogismus autem hic est: Mens divina sine ratione esse non potest: Ratio autem vim habet recti pravique sancienti: Ergo mens divina vim habet r. p. q. f. i. e. (quoniam mens divina æterna est) Mens divina summa & æterna lex est. Jam si assumptioni s. minori propositioni addideris: *divina*, conclusionem jam præoccupaveris, eamque deinde inanem reliqueris. Ut igitur sua argumentationi vis & veritas constet, ejicienda est ista vox, quam interposuit sive glossator sive librarius, qui rationis universæ vim dignitatemque propriam non  
anim-

animadvertisset, & majori eam titulo gloriari nollet, ideoque ad solam *divinam* rationem transferret id, quod ex Ciceronis mente rationi omnino per se debetur.

— *Orta autem est simul cum mente divina.* Vocabulum: *oriri* non tam stricto sensu sumendum est, quam hodie solemus, quo ortum esse id dicimus, quod aliquando non fuisse putamus. Id longe aliter se habet apud antiquiores, quibus vocabula, quæ originem, generationem, procreationem, al. significant, vaga fluctuant, neque adeo certam & definitam habent notionem, ut non Deus ex se ipso ortus & creatus dici posset. Lex igitur, quæ simul cum mente divina orta est, non minus ac ista ipsa æterna est atque immortalis.

— *quod est rectum, verum quoque sit.* Cicero paullo ante dixerat: *lex vera est recta* rat. cui adsentitur Quintus, *rectum* quod sit, verum quoque esse confirmans. Non igitur cum Dav. *verum* in *æternum* mutandum est, præsertim cum ex veterum effatis nihil verum sit, nisi quod stabile, constans & æternum; vtrum igitur legas, par consecutionis ratio maneat. — Cæterum de arcto, quo cohærent, vinculo veritatis & virtutis studium, cf. Garve ad Cic. I. 4. p. 52. Kant in Commentariis mensuris Berolinensibus, mens. Sept. a. 1791. p. 218. & quæ supra disputata sunt p. 91.

§. 11. *item, cum in homine est, perfecta est in mente sapientis.* Ista est lectio a Dav. & Ern. recepta, quæ tamen non omnino satisfacit. For-

tasse sic legendum: *item, cum in homine est perfecta, mens est sapientis.* Hoc modo apte antecedentibus responderent: *summa lex & lex in homine perfecta: mens divina & mens sapientis.* Cæterum & res & verba ex lib. I. 6. explicanda esse, monere vix opus est.

— *Quæ sunt autem varie & ad tempus descripta* Ad tempus non est: ad temporis aliquod spatium s. ad certum quendam annorum numerum, auf eine Zeit lang: (populi enim, cum leges sanciant, semper æternas se leges pangere putant) sed: *ad præsentem rerum conditionem.* Quæ sic descriptæ sunt leges, ex vera legis definitione i. e. re ipsa non sunt leges. Immerito igitur Davis. & Ern. pro: *re commendaverunt: jure.* De legibus ex præsentem rerum conditione sancitis & quodnam iis pretium statuendum sit, pauca differui ad lib. I. cap. 15. p. 129.

§. 12. *sicut illi solent.* Sunt Stoici, quorum spinæ & minutæ interrogatiunculæ sæpe taxantur, a Cic. e. g. Parad. præf.

#### CAPUT VI.

§. 14. *Ego ne Livias quidem.* Cicero igitur has leges reliquis tamen anteposuit, & merito, si Vellej. audias lib. II. 13. justitiam enim & æquitatem tuebantur.

— *id mihi credo esse faciendum, ut priusqu.* Quodsi pron. *id* non cum antecedente part. comparativa *ut*, sed cum sequente conjunctione *ut pr.* arctius copules; tum, puto, cessabit offensio, quam  
in



in ista vocula repererunt Dav. Lamb. & Ern. cf. de Off. I. 1. *id tibi censeo faciendum, ut.*

— *Persuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere.* Nonne vero perfectissima legislatio id præstare debeat, ut omnia persuadeat, nil fere nisi ea, quæ omittenda sint & aliorum jura lædant, vi & minis prohibeat. Quæ autem voluntatis libera actione effici & præstari debeant, ea cogere velle, multiplicem habet injuriam & plura trahit incommoda. *Primo* enim non commode & feliciter procedit, quidquid coactus quisque fecerit; opera igitur nequicquam perit & homo viribus abutitur: *Deinde* doli & fraudes alliciuntur ad eludendam imperii vim & poenas; quo facto vitiorum omnium & scelerum fenestræ aperiuntur, virtutis autem vera lux in civium animis obscuratur. *Tum* vero, cum semel pestifer ille mos, alios contra suam voluntatem cogendi, in vitam hominum invaserit, quonam ille loco consistet? quisnam progrediendi finis erit? Certe & ratio & experientia docet, non satis tuto homini in homines licentiam concedi, quæ si semel impetum ceperit, plus justo ad se rapiat, & omnium libertati infesta fiat, & eo tandem progrediatur, ut homine, nullo rationis ejus respectu, tanquam instrumento suæ utilitatis utatur; id quod inprimis naturæ hominis adversatur, ejusque divinam indolem subvertit.

Cum homines, solitudine & domestico vitæ genere relicto, in majorem & ampliorem societatem eum in finem coierint, ut pluribus fruantur commodis, ad quæ obtinenda communem præstent operam: hanc qui socordia vel avaritia ductus

præstare nolit, vt illis careat commodis atque utilitatibus, iustissimum est & æquissimum; at vt aliis rebus idem privetur, quæ pluris sibi sint, quam ea, quorum id obtinendorum causa fiat; vt aliorum, non suo, arbitrio felix esse cogatur; vt corpore plectatur imo capite mulctetur, quia aliis præstare ea nolit, quæ præstare sui non putet officii: hoc certe cum communi humanitatis jure parum congruit. —

Sed intelligo equidem, hanc disputationem non esse hujus loci, nec mearum fortasse virium; eam vero hominum & civitatum hodie conditionem, vt, si omnes ad rationis veritatem leges revocare velis, nulla fere civitas reperiat, quæ probis utatur legibus, & si omnes vi & forti impetu sanandæ sint, medelam non ferant: vnde malum malo majus, quod quoad progressurum sit, nemo definire possit, oritur necesse est \*). Videant ii, quorum in manibus regimen populorum versatur, quique se totius generis humani tutores jactant, ne sua vel amicorum imprudentia, socordia,

---

\*) Quando enim hunc, qui, (quod paucis abhinc annis factum est,) cum duorum, qui vxores interfecerant, alter ad lapides datus esset, alterius lis penderet, ingenue professus est: si & huic capitis supplicium remitteretur, se etiam suam vxorem, jamdudum sibi molestam, interfectorum: quando, inquam, hunc stipitem mitioris disciplinae patientem fore credimus?

dia, superbia, aut luxuria, respublica, quæ rationis & humanitatis vinculo cohærere debet, aliquid detrimenti capiat. Ipsi id agant, vt legibus sapientioribus & ad humanitatis naturam magis, quam ad singulorum libidinem atque avaritiam, accommodatis nomen patrum patriæ mereantur. Nam hoc pro certo statuere, in tanta rerum humanarum incertitudine, tamen non vereor: nisi fundamentum legum in ipsa ratione positum fuerit; nisi totius civitatis institutio ex humanitatis indole ac lege repetatur: nec religionem, cuius puriori luce hodie fruimur; nec disciplinam atque eruditionem scholasticam, qua emendanda & perficienda tantopere se jactat ætas nostra, desideriiis eorum, qui hominum humaniter res curant, satisfacturas esse. Religio enim, si non universa civitatis forma eam adjuvet, homines finget simulatores, calidos, fucata specie animi malitiam tegentes: scholastica vero institutio ad summum id efficiet, vt diversa omnino sit vita, diversique mores eorum, qui a negotiis & republica adhuc absint & eorum, qui res gerendas capeffant, rei que publicæ & legum curam ac tutelam susceperint; in illa ætate imago quædam virtutis appareat, quæ postea negotiorum administratione & muneribus suscipiendis obtineri non possit: unde multos quærentes audias, se, licet animi conscientia improbet, sui muneris ratione cogi, ea facere & admittere, quæ injusta quidem videantur & iniqua, at præfenti rerum conditione necessaria; nec suarum virium esse ea immutare. Inde fit etiam, vt sæpe ii, qui publicis muneribus præfint, quæ doctorum præceptis

tradantur, tanquam a vitæ usu aliena contemnant, scholasticæ sapientiæ nomine, vt infamia, notent, & si quid in iis boni insit, ultra puerilem ætatem, quæ his rebus otium perquam utiliter fallat, usum ejus non extendi: ea omnia dediscenda esse ei, qui publico munere apte & cum fructu fungi velit. Quis autem contendere aufit, eam reipublicæ formam probam esse, quæ & religionis, & rectæ rationis principiis adversetur, eademque perturbet? Ejusmodi autem multa esse in civitatibus, quis adeo est rerum imperitus, qui negare veilit? aut quis tam immanis, vt eum, qui talia retegat & notet, hostem reipublicæ ac non potius amicum & patriæ fidelem & iis, qui summis rebus præfint, habeat?

## CAPUT VII.

§. 16. *ab utili ac vera sententia.* Recte sic dederunt Dav. & Ern. Nam primo Cicero demonstrat hanc sententiam esse veram; deinde esse utilem.

— *Utiles autem esse opiniones has.* Communis est hic multorum hominum mos, neque eorum pravorum ac stultorum, sed optimorum & prudentissimorum virorum, vt religionem utilitate sua, quæ inde in hominum genus redundet, commendent. Sed licet verum sit, nihil veritate & religione præstantius a Deo tribui potuisse generi humano, tamen nolim equidem eam inter ea censerî, quæ utilitate & pretio ponderentur. Ita enim dignitas ejus mirum quantum imminuitur, atque im-

ma-

manis illa & pernicioſa opinio alitur & ſuſtenta-  
 tur: non eſſe religionem, niſi frenum quoddam  
 indomitæ multitudini injiciendum, quæ aliter co-  
 hiberi non poſſit. Inde fit, vt multi religionis  
 doctores & antiftites, multi civitatum rectores &  
 principes, cum palam multa crepent de religione  
 tuenda, eam vitæ magiſtram, ſpem & ſolatium  
 unicum rebus humanis prædicent, ejuſque ad men-  
 tem animumque hominis vim & præſtantiam miris  
 laudibus extollant, iidem sæpe inter familiares  
 piam vulgi ſuperſtitionem rideant; ſe nihil nec  
 Deorum, nec religionis pro vero habere profitean-  
 tur; prudentes tamen ſe putent, quod iſto freno  
 & terriculamento tam callide ad plebem doman-  
 dam utantur, ipſi his nugis non terreantur. Hanc  
 originem habet religio, quæ dicitur, prudentium;  
 quo monſtro nihil immanius, nihil peſtilentius in  
 hominum ſocietatem invehi potuit. Iſta enim re-  
 ligio, ſi nomine tam ſancto abuti licet, nihil ipſa  
 veri habet, nihil æqui, præter ſuæ libidinis de-  
 creta; at tanto acrius unguibus & pugnis pro iis  
 decertat, quæ antiquus mos tradiderit & ſanxerit:  
 mordicus quaſi tenet ea, quæ aliquo modo cum  
 religionis diſciplina conjuncta antiquo ritu obser-  
 ventur, atque eos, qui religionem ſanctiſſimam in-  
 timo pectore veroque animi ſenſu colentes a ſuper-  
 ſtitionum ſordibus purgare, ſuoque ſplendori reſti-  
 tuere velint, tanquam omnium ſacrorum perturba-  
 tores, divini & humani juris everſores, ſuppliciiſ  
 afficiendos cenſent. Hæc ſunt neceſſaria opinio-  
 nis illius de religionum utilitate conſectaria. Cur  
 enim ea non teneat, quæ religioni adjuncta per

longam ætatem utilitatis specie maxima valuerint? Cur non & ea, quæ ratio vt falsa damnet, sanciat & custodiat, si utilitas approbet, rerum domina?

Religio utilitatibus præesse & commoda gubernare, neque vero eorum cœtui immisceri debet; ipsa sua veritate, sua sanctitate æstimanda est & colenda. Hac sola dignitas ejus & majestas nititur, cui qui detrahit, is magis est majestatis reus, quam olim is, qui Romano jure majestatis crimine tenebatur: lædit enim veritatem & subruit fundamenta rationis, sine qua nec civitas, nec jus ullum divinum & humanum esse potest.

Inter ea, quæ societati civili præstet commoda religio, inprimis censetur jusjurandum, quod Deorum metu fidem promissorum firmet & sanciat. Christus quidem, præstantissimæ religionis dux & auctor, suis omnino jurejurando interdixit Matth. V. 34. sqq. vbi claris & certis verbis suum præceptum opponit legi Mosaicæ de jurejurando, quam igitur hoc ipso edicto abrogatam voluit. Sed, quod omnibus religionibus accidit, atque ex opinione de religionis pretio ex utilitate, quam ad civitatis salutem habeat, æstimando necessario evenit, vt ii, qui summam reipublicæ teneant, quam ipsi de reipublicæ utilitate & commodis legumque sanctitate habeant sententiam, ad eam etiam religionis præcepta accommodent, idem huic Christi effato accidit, vt adderent id, quod in christianæ religionis codice nusquam reperitur: solo scilicet magistratum jussu jurare fas esse. Nam quod provocant ad Ep. Pauli ad Hebr. VI, 16. id contra justas interpretandi regulas fit. Exemplo enim  
con-

consuetudinis inter homines receptæ, quam tamen, probanda an vituperanda sit, non declarat, ad causam suam confirmandam vitur, nec minima quidem adest suspicio, Apostolum, quæ Christus simpliciter dixerat, arctioribus limitibus circumscribere voluisse. Sed cum videretur utilis & necessaria ad fidem firmandam jurisjurandi interpositio: (ex antiqua scilicet & vulgari superstitione) tum religio etiam christianæ huic opinioni se quocunque modo accommodare debuit. Ita ii, qui omnia utilitate sola metienda censent, religionibus abutuntur pro suo arbitrio.

Tantum vero abest, ut ista de jurisjurandi necessitate opinio utilis sit, ut potius omnem veritatis genuinam indolem & certam fiduciam evertat, ideoque plus noxæ adferat, quam utilitatis unquam ex eo evenire potuit, quod forte superstitionis vi aliqua is, qui sua sponte vera profiteri aut fidem datam servare nollet, perjurii supplicio aut Deorum aliquo metu percussus, id semel præstiterit, quod deinceps, ne iterum deprehenderetur, tanto callidius fallere, tanto sollertius celare studeat. Nam si semel ista opinio animis hominum inoluit, ad promissorum pactorumque certam fidem jurisjurandi religionem necessariam esse, alterutrum horum eveniet: ut vel quotidiano & crebro jurisjurandi usu sanctitas ejus obsolescat & majestas pereat; vel, si rara & in maximis tantum & gravissimis causis adhibeatur, eæ causæ, in quibus ejus usus non sit, (quæ tamen eo ipso, quod quotidianæ sunt, haud leve ad reipublicæ civiumque salutem momentum habeant,) arbitrio eorum  
trans-

transmissæ putentur, qui nullum, nisi in divini humanique supplicii metu, virtutis & officii incitamentum norunt. Inde fit, ut ii etiam, qui se non mali haberi cupiunt, imo se justî ordinis, legum ac religionis custodes jactant, cum in accusando vel defendendo & excusando ad jurisjurandi religionem provocent, quasi in eo solo omnis & veritatis & officii sanctio sit; tum ipsi profiteri non vereantur, se hac vel illa causa, si juratis agendum fuisset, aliter acturos fuisse. Quæ confessio eos arguit, veritatis vi penitus conturbata, animi conscientiam falsa de jurejurando opinione refutasse, ac perverse egisse jurejurando non adstrictos, quamvis intellexerint, aliter sibi agendum fuisse. Ita veritatis robur infringitur, nervi inciduntur: quod non accideret, si universa veri rectique reverentia inculcaretur omnibus, & quod justum sit & æquum migrare, sua sponte pro sacrilegio habeatur. Si quis autem dicat: illos, quos dixi, homunciones a vera virtute ita remotos esse, ut ne speciem quidem aliquam ejus præ se ferant; eos nihil sancti, sed fas atque nefas eodem loco habere, prout libidinum suarum arbitrio illud comprobatum fuerit & sancitum; hos nullis legibus eo adduci posse, ut verum rectumque magis, quam libidines suas colant; nullam esse civitatis legumque institutionem, quæ cives omnes probos faciat nullumque calumniæ locum relinquat: fateor equidem hocce verum esse; sed tanto magis, puto, cavendum est, ne ipsi magistratus & legumlatores improborum argutiis suffragentur, & malitiæ asylum aperiant.

Ne



\* \* \*

Ne quid desit eorum, quæ Cicero ad leges fundandas ex natura rerum depromsit, subjungendum videtur e principio libri tertii proœmium legis de magistratibus, cui comparetur deinceps Lucretii locus de ortu & mutatione regiminis inter homines.

Sequar igitur, *pergit Marcus initio libri tertii*, ut institui, divinum illum virum, quem quadam admiratione commotus sæpius fortasse laudo, quam necesse est. Att. Platonem videlicet dicis. M. Istum ipsum, Attice. Att. Tu vero istum nec nimis valde unquam, nec nimis sæpe laudaveris: nam hoc mihi etiam nostri illi, qui neminem, nisi suum laudari volunt, concedunt, ut eum arbitrato meo diligam. M. Bene hercule faciunt: quid enim est elegantia tua dignius? cujus & vita & oratio consecuta mihi videtur difficillimam illam societatem gravitatis cum humanitate. Att. Sane gaudeo, quod te interpellavi, quandoquidem tam præclarum mihi dedisti iudicii tui testimonium. Sed perge ut cœperas. M. Laudemus igitur legem ipsam veris & propriis generis sui laudibus. Att. Sane quidem, sicut de religionum lege fecisti. M. Videtis igitur, magistratus hanc esse vim, ut præsit, præscribatque recta & utilia & conjuncta cum legibus. Ut enim magistratibus leges, ita populo præfunt magistratus: vereque dici potest: magistratum legem esse loquentem; legem autem mutum magistratum. Nihil porro tam aptum est ad jus conditionemque naturæ, (quod cum dico, le-

legem a me dici, nihilque aliud intelligi volo,) quam imperium, sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest: nam & hic Deo paret, & huic obediunt maria terræque; & hominum vita jussis supremæ legis obtemperat.

Atque, ut ad hæc ceteriora veniam & notiora nobis, omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt: quod genus imperii primum ad homines justissimos & sapientissimos deferebatur; idque in republica nostra maxime valuit, quoad ei regalis potestas præfuit: deinde etiam deinceps posteris prodebat; quod & in his etiam, qui nunc regnant, manet. Quibus autem regia potestas non placuit, non ii nemini, sed non semper uni parere voluerunt. Nos autem, quoniam leges damus liberis populis, quæque de optima republica sentiremus, in sex libris ante diximus, accommodabimus hoc tempore leges ad illum, quem probamus, civitatis statum. Magistratibus igitur opus est, sine quorum prudentia ac diligentia esse civitas non potest; quorumque descriptione omnis reipublicæ moderatio continetur. Neque solum iis præscribendus est imperandi, sed etiam civibus obtemperandi modus. Nam &, qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est: &, qui modeste paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse. Itaque oportet & eum, qui parit, sperare, se aliquo tempore imperaturum: & illum, qui imperat, cogitare, brevi tempore sibi esse parendum. Nec vero solum, ut obtemperent, obedianque magi-  
stra-

stratibus, sed etiam, ut eos colant diligentque, præscribimus, ut Charondas in suis facit legibus. Noster vero Plato Titanum e genere statuit eos, qui, ut illi cœlestibus, sic hi aduersentur magistratibus. —

Lucretii de primis hominum imperiis ortuque magistratuum sententia his continetur versibus lib. V. 1107.

Condere cœperunt urbeis, arcemque locare  
Præsidium reges ipsi sibi, perfugiumque;  
Et pecudes & agros divisere, atque dedere  
Pro facie cuiusque & viribus ingenioque.  
Nam facies multum valuit, viresque vigeant.  
Posterius res inventa est, aurumque repertum,  
Quod facile & validis & pulchris demisit hono-  
rem:

Divitioris enim sectam plerumque sequuntur  
Quamlibet & fortes & pulchro corpore creti.  
Quod si quis vera vitam ratione gubernet,  
Divitiæ grandes homini sunt: vivere parce  
Aequo animo: neque enim est unquam penu-  
ria parvi.

At claros se homines voluere esse, atque po-  
tentes,  
Ut fundamento stabili fortuna maneret,  
Et placidam possent opulenti degere vitam;  
Nequicquam! Quoniam, ad summum succe-  
dere honorem

Certantes, iter infestum fecere viai.  
Et tamen e summo quasi fulmen dejicit ictos  
Invidia interdum contemtim in Tartara tetra:  
Ut

Ut satius multo jam sit parere quietum,  
 Quam regere imperio res velle, & regna te-  
 nere.

Proinde, sine incassum defessi sanguine sudent  
 Angustum per iter luctantes ambitionis,  
 Invidia quoniam, ceu fulmine, summa vapo-  
 rant

Plerumque, & quæ sunt aliis magis edita cun-  
 que:

Quandoquidem sapiunt aleno ex ore, petunt-  
 que

Res ex auditis potius, quam sensibus ipsis:  
 Nec magis id nunc est, nec erit mox, quam  
 fuit ante.

Ergo regibus occisis subversa jacebat  
 Pristina majestas soliorum & sceptrum superba;  
 Et capitis summi præclarum insigne cruentum  
 Sub pedibus vulgi magnum lugebat honorem:  
 Nam cupide conculcatur nimis ante metutum.  
 Res itaque ad summam faecem, turbasque re-  
 dibat,

Imperium sibi cum ac summatum quisque pe-  
 tebat.

Inde magistratum partim docuere creare;  
 Juraque constituere, vt vellent legibus uti.  
 Nam genus humanum, defessum vi colere æ-  
 rum,

Ex inimicitiis languebat: quo magis ipsum  
 Sponte sua cecidit sub leges arctaque jura.  
 Acrius ex ira quod enim se quisque parabat  
 Ulcisci, quam nunc concessum est legibus æ-  
 quis;

Hanc

Hanc ob rem est homines pertæsum vi colere  
ævum :

Unde metus maculat poenarum præmia vitæ:  
Circumretit enim vis atque injuria quemque,  
Atque unde exorta est, ad eum plerumque re-  
vertit ;

Nec facile est placidam ac pacatam degere  
vitam,

Qui violat factis communia fœdera pacis.

Etsi fallit enim Divum genus humanumque,  
Perpetuo tamen id fore clam, diffidere debet:  
Quippe ubi se multi per somnia sæpe loquen-  
tes,

Aut morbo delirantes præcraxe ferantur,

Et celata diu in medium peccata dedisse.

Ad eas, quæ his locis a diversis auctoribus breviter  
tanguntur, res gravissimas pariter cognituque uti-  
lissimas, pauca equidem notabo:

*Primo* quidem, quam Cicero magistratum  
exposuit definitionem: „esse magistratum legem  
loquentem” si teneas, non est, quod quis horum  
potestate atque auctoritate communem omnium  
æqualitatem minui vel opprimi putet. Justitia  
enim omnibus æqualis sine legibus certe teneri  
non potest: leges autem quomodo valeant aut  
stare possint, nisi adsint, qui eas servant, explicent,  
tueantur, in eoque toti sint? Quodsi autem magi-  
stratus non sapientia ac prudentia, sed ambitione  
ac favore eligantur; si sua in fungendo munere  
commoda magis, quam civitatis utilitatem spectent  
& quæstui habeant rempublicam: tum & juris  
æquitas cessabit, & tota reipublicæ causa proditur.

N

Deinde

*Deinde* vero, quod Cicero de regii imperii origine ac ratione dicit, verum quidem est id: „omnes antiquas gentes regibus quondam paruisse:” nam, præter patrum familias inter domesticos imperium, inter populos & gentes universas regium imperium profecto est antiquissimum: at, si regum originem ab electione, quæ iustitiam & sapientiam imprimis spectaverit, repetit, in eo quidem totius historiæ fidem & ipsam rationem repugnantem habere videtur. Nam nec prius in istam cogitationem incidere potuit liber populus, ut uni parere vellet, quam, quæ inde oriri possent commoda, forte quadam fortuna expertus cognovisset; nec historiarum monumenta alia regum communi populorum consensu electorum noverunt exempla, nisi postquam vel ipsi reges jam antea habuissent, vel ex vicinis exemplar sumssent. Illius exemplum illustrissimum est Dejoces a Medis propter juris exercendi diligentiam & fidem in regium sublatus fastigium; sed Medi jam antea regio imperio usi, cum libertate uti nescirent, & procax libertas omnia misceret, ad regiam auctoritatem, suo arbitratu constitutam, reverti, optimum putaverunt. Regis autem solo imitationis studio optati exemplum habes in Saulo apud Hebræos. Quæcunque vero historia de primo regum ortu habet, omnia quidem eo spectant, ut, vi eos imperium occupasse, & roboris magnitudine reliquos invito suæ potestati subiecisse, declarent. Antiquissimum hac de re documentum habes in Nimrodo (Gen. X. 8-10.) qui a domandis feris ad homines domandos progressus (1 Chron. I. 10.) primum regii dominatus exem-

exemplum dedit. Parem auctoritatem, five etiam sui ingenii iudicium, secutus Lucretius regum primum ortum a vi deducere videtur, cum a principio statim præsidii perfugique curam ab iis habitam commemoraret. Idem Lucretius recte, & ad naturæ rationem & ad historiæ traditionem, cum primum condendæ urbis consilium regibus tribuit, qui locum præsidio tutum quæsierint, tum bonorum facultatumque divisionem, ita vt sua cuiusque propria essent & privata, a regibus repetit, qui populi subjecti omnia sua putantes, seque & amicos pro vario amoris gradu exornari cupientes, primam privati aliquid & proprii habendi cogitationem induxerint populis, qui antea non nisi communibus & publicis æquo omnium jure uterentur, neque ultra naturalis desiderii expletionem, cuius facultas in medio esset, amplius quid cuperent. Inde privatæ possessionis cupiditas totam vitam invasit, multaque mala, multa etiam bona, in eam invexit. Vtrorum major sit copia, & an unquam fieri possit & debeat, vt bonorum communio in hominum vitam revertatur, ista quidem altioris est indaginis, nec hujus loci, quæstio. Quodsi credere par est, quæ i Sam. VIII. 11. sqq. de jure regio dicuntur, ex remotissimæ & rudioris antiquitatis experientia deprompta esse, gravius profecto pro Lucretiana sententia testimonium non requiras; iis autem, qui privatæ possessionis initium a pacto repetunt, nullum, quod equidem memini, e rerum gestarum historia documentum succurrit. Alteri vero, de condendarum urbium origine, Lucretii opinioni mirum in modum suffragatur antiquissima harum

rerum memoria, si locum antea de Nimrodo excitatum Gen. X. conferas cum cap. XI. 4. sqq. Cum enim Nimrodum legeris Babele regni primordia habuisse, legeris autem ibidem urbis & turris condendæ conatum: numquid magis verisimile videatur, quam eundem Nimrodum & regni & urbis arcisque auctorem fuisse? Item Dejocem Medos, qui antea per vicos passim habitarent, ad urbem communiendam adegisse, refert Herodotus pag. 21. ed. Camerarii.

*Tertio* notu dignum est, regnorum per hereditatem successionem eorum fere ortum antiquitate æquare; seriori autem ætate ad regnorum salutem & tranquillitatem a viris sapientissimis unice probatam esse.

*Tum* in ordine, quo liberarum civitatum magistratus regio imperio successerint, exponendo consentit Cicero cum Lucretio; cujus tamen verba vaticinio in tristem nostrorum temporum casum comparare possis. — Quod autem Lucretius a sola utilitate vel metu jus omne deducit, in eo graviter eum errare, ab ipso Cicerone satis demonstratum est lib. I. §. 41. sqq. cf. pag. 124. sqq.

*Postremo*, quod, secundum Platonem, Cicero dicit de religione & pietate adversus leges & magistratus, qui eas tuentur; ejus rei egregium sane & admirandum dedit exemplum, factique sui rationes dilucide, per Platonem in Critone, exposuit, vir prima dicendus Camœna & summa, neque vnquam satis laudandus, Socrates.





## Corrigenda.

Pag. 64. lin. 18. pro: XVI. leg. XIII.

— — — 19. — Appoll. leg. Apoll.

— 97. — 7. — Odyss. I. leg. Y.

— 108. — 8. — e leg. eo.





